£17.50


VICISTI FAMAM VIRTUTIBUS TUIS. 2. Paralip. C. 9. v. 6.

REGIA VIRTUTUM

SERENISSIMO, ET POTENTISSIMO

HUNGARIÆ REGI

JOSEPHO I.

MAGNI CÆSARIS

LEOPOLDI I.

FILIO,

CÆSARIS PARENTIS

CONSENSU,

BONORUM OMNIUM

SENSU,

SEPTEM-VIRORUM SAC. ROM. IMPERII UNANIMI SUFFRAGIO,

AUGUSTO ROMANORUM

REGI

CORONATO

AB

ANTIQUISSIMA, AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE


VIENNENSI

IN TRIUMPHUM FELICITER PERACTÆ INAUGURATIONIS,

PUBLICÆ FESTIVITATIS ARGUMENTUM,

ÆTERNÆ OBSERVANTIÆ MONUMENTUM


DEMISSISSIME OBLATA.



VIENNÆ AUSTRIÆ TYPIS LEOPOLDI VOIGT, UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

JOSEPHO
PRIMO
AUGUSTO
GERMANIÆ, HUNGARIÆQUE
REGI,
ARCHIDUCI
AUSTRIÆ, &c.

DOMINO, DOMINO CLEMENTISSIMO.



AUGUSTE REX.



Oſt magnificas portas, quas Triumphanti de Germaniæ affectu feſtinantibus obſequijs communis Populorum ardor excitavit, Regiam poſtliminiò pandimus MAIESTATI TUÆ. Ingredere AUGUSTE REX. Non alibi di-

)(2 gniùs

gniùs degit Bonus Princeps, quàm in virtutum consortio. Hæ aulam divinæ simillimam exhibent. In ea fulgeat, qui eminentiâ potestatis in terris Majestatem DEI repræsentat.

Sint, qui domos moliantur urbem complexas: qui montium strage de via cedere naturam cogant, ut pares sibi ædes fastus inveniat. Virtute se Tua gloria metiatur. Inhabitatæ leucæ satìs granditatem Principum non ostendunt. Etiam sic Nerones habitârunt. Majestas Imperantis à magnitudine animi venit, animi magnitudo à virtute. Hæc supra homines homines tollit, id est, Principes facit DEO proximos. Hâc velut basi imperia eriguntur, hâc firmantur.

Circumspice atrium Augustæ Domûs: tot ista pro veritate ibidem testes, quot longa serie Cæsares stant. Omnes Maximi, quia Optimi. Gemina nempe inter Austriacos, una pietatis, dignitatis altera metempsychosis perennat. In sequentium mores Antecedentium exempla, & Horum coronæ in Illorum vertices migrant. Ita virtus honorem continuat. Nec ad hæc comprobanda argumentis, & eloquentiâ opus est, postquam tot sæculorum experimentum effecit; ut synonyma jam evaserint Austriacus, & Pius Princeps. Pietatem equidem, licentiæ svasu, aulæ eijciunt; sed quanto damno ad omnia utilem eijciant;

ciant; quid Regiarum Dux illa virtutum poſſit, luculentè in exornanda Auſtriacorum Domo oſtendit. Tot ſceptra, tot regna intulit, tam amplam effecit; ut ſine adulantium hyperbola infra cælum UNA DOMUS minor orbe non ſit. Id radijs ſuis ſol ipſe demonſtrat, quos extra Auſtriaci Imperij limites nulla pernicitas rapit. Quam firmam, invictamque præſtiterit; fractus tot adverſantium, aut fatigatus, velut in rupe, procellarum impetus probat. Inter hoſtes, quemadmodum olim DEI templum, nata eſt; inter hoſtes crevit, & adhuc inter hoſtes aſſurgit. Sed quos? numero, furore, pertinaciâ ſæviſſimos. Hoſtes nempe patitur, quos cauſa DEI, pro qua ſe murum opponit. Vim adversùs illam conſociant Ambitio, Tyrannis, Impietas. Illi totâ bellorum mole incumbunt. Simul impugnant, ſimul premunt, ſimul quatiunt, non expugnant tamen, non opprimunt, non labefactant. Succubuiſſet vel uni, ſi poſſet cadere; poſſet cadere, ſi à Pietate divelli. Vim ergo virtutis cuncti intelligant, quos tantæ Domûs tam ſublimis, tam firma gloria tenet attonitos. Extra caſum ſunt, perennant imperia, quæ cælo fundata Pietas fulcit.

At cur MAIESTATIS TUÆ memoriam ad Avorum imagines, & vetuſta tempora remittimus. Confidentis in ſolio formam felicitatemq; virtutis quotidie experimento uſurpat. Implet illa MAIESTATIS

Tuæ oculos, & in ſe rapit, quæ è vultu Patris, è vultu Matris Auguſtiſſima fulget. Quid quid enim præcedentium Cæſarum fama immortalitati commiſit, in eorum legitur geſtis, quorum vitam in Auſtriacæ hiſtoriæ epitomen Pietas contraxit. Agnoſcit orbis, calamitati ſæculi cælum providiſſe. Ambitio & furor Licinios, Maxentiosq; revocavit, illud Imperio Theodoſios, ac Conſtantinos in Genitore Tuo dedit. Quantùm regnandi ſanctitas faciat, à menſura intelligimus, quam ab humani generis judicio habet. Ab hoc verè itaquè (nequè enim univerſim fallimur) Magni nomen accepit. Magnus verè eſt, qui fortunæ caſibus altior fulmina pede calcat. Magnus eſt, infra quem Luna. Magnus ſine exemplo eſt, qui Te, Auguste Rex, in hac annorum teneritudine Germanico ſolio virtutis ſuæ exemplo digniſſimum præſtitit. Ea ſiquidem ſpecimina edidiſti, ut convocata Germania mox Te viſo adverterit, quod oculis imperandi artem addiſcas.

Illa morum & oris Tui dignitas; illa maturitas ſermonis, ille animi ſublimis vigor ad imponendum diadema citra ætatem maturo vertici lenta aliàs ſuffragia incitarunt. Perſonantem priùs tanta cùm laude Indolis Tuæ famam virtutum præſentiâ ſuperaſti; conceptámque ex Te ſpem in ſecuritatem mutaſti. Nemo jam ambigit, quòd cuncta è præſcripto virtutis, ſive paterno more

geres. AMOREM, TIMOREMQUE vadem habemus. Quantùm enim se ille virtuti, quantùm se illi Principi impendere virtus debet! in quo, quid quid boni amant, quid quid improbi timent, ut emineat, necessarium est.

En quàm aptè TIBI è Regiarum duodenâ virtutum Zodiacum, id est, solis Regiam construximus; jam per illum TE Serenissimum Europæ sidus AMORIS, TIMORISQUE fortunatissimæ bigæ vehunt, à quo tramite nemo Principum deflectere debet, nemo bonorum vult, Austriacorum nullus potest. Raptas in dodecatemoria urbes adulatio illis effingat, qui ambitionis audacissimo impetu circumquaquè feruntur, incendia radiorum vice spargunt. TUUM est, Rex Auguste, quod solis, cunctis serenitatem adferre. Illustrare mortales, orbem beneficijs peragrare TUUM est. Bella equidem & Tu geres; ac quemadmodum pulsâ caligine radiorum suorum sol, ita Tu armorum Majestatem domitâ, fractâq; perfidiâ exhibebis. Victor tamen ultorque ensis nunquam etiam virtutis fulgorem amittet; inter fulmina, quæ è solio TIMOR vibrabit, continuò intermicabit AMORIS blanda Lux. Parces humano generi; iniquo possessori, non excisas mundo urbes eripies. Fidelitati, Cæsari Occidentem, Humanitati, DEO Orientem restitues. Nunquam apud TE Dominationis libido hæc duo nomina dividet, quæ sum-


mam tuarum laudum conficiunt, REX VIRTUTUM, REX GLORIÆ.

Finem orationi facimus, non precibus. Deſcripta Regiarum virtutum, hoc eſt, DOMÛS TUÆ encomia ita ſuſcipe, ut ſolet oblata ſibi munera DEUS, apud quem hæc omne ab offerentium affectu pretium habent. Redde viciſſim, quod DEUS, & Tu quoque libentiſſimè indulges, nobis verò pretioſiſſimum eſt, AFFECTUM TUUM. More Majorum, exemplo AUGUSTISSIMI GENITORIS TUI (plura deſiderijs concipere non poſſumus) Viennenſem Univerſitatem fove. Ita precatur

Auguſtæ Majeſtatis Tuæ.

Demiſſiſſimus cum tota Univerſitate Servus,

Franciſcus Joſephus Garzaroll à Garzarolshoff
p. t. Univerſitatis Rector.


AUSTRIA FIRMAT

RELIGIO.

Quem toties volvit, toties Fortuna revolvit,
Austriaci firmant in crucis axe Globum.
Scilicet hoc primum fuerat Tibi magne Rudolphe
Quod Sceptrum Pietas ingeniosa dedit.
O! procul adversæ dolus, ira, superbia, fraudes
Hinc fugite, Augustam crux micat ante Domum.



Ui de summis ima, & de imis summa facere potest ex hominibus, pro potestate sua, Princeps Imperans, idem de Deo agere non tam potest, quàm debet necessitate, ut feliciter regnet. Apud rectè Imperantem infima agit Altissimus, quia fundamentum boni publici; summa tenet, quia principium & origo fortunæ, utrumq; factus bono Principi Religione. Nequeunt benè regere sœculi Principes, nisi apprimè religiosi, & regulares quidem, quorum actionibus semper fixa stat *prima regula* DEUS. *Regni basis Pietas erga DEUM.* (a) Hoc destitutus fundamento adeò vacillat thronus imperantium, ut casui proximus sit, quem cum ruere cœperit, si sustinere voles, non alio, firmabis, quàm unico *fulcro imperiorum Religione, & Pietate.* (b) Productio & conservatio ejusdem artificis est ad Philosophantium mentem, ut concludat Politica, quod, qui contulit, idem & conservet imperia, DEUS. *Regna super stat, qui regnare jubet.* (c) A & Ω Hebræus DEUM dixit, imò DEUS seipsum, principium & finem, nunquam luculentiùs, quàm in benè ordinata Republica. DEUS centrum est, â quo perfectio desumitur circuli Imperialium diadematum; apex, in quem sceptra desinunt. Superlativo ampliùs aliquid non admittit Grammatica, docet necessarium bona Politica, dum mortalium Maximis majorem ponit DEUM; vel ideò maximis, quia illo minoribus. Nam *Imperator hic omnibus major, dum solo DEO minor est.* (d) Ut ut cæca Antiquitas, procul tamen bonæ gubernationis leges inspexit, oculata in cœlum usq;, dum Græcorum legibus primam imposuit *de Deorum cultu*, & leges Romuli primam notârunt, quæ diceret: *Deos patrios colunto.* Et benè, nam *in legum constitutione primum, & maximum de Dijs opinio.* (e) Bonus Princeps publicæ felicitatis magnes est, affinis Cælo gemma, quocunq; seu se vertat ipse, seu vertatur â fortuna, polum semper respiciat, affinis divinitati futurus, si non Deorum aliquis, dum *Principes pietate & justitia Dij fiunt.* (f)

Omnium rerum magnarum â Dijs immortalibus principia ducuntur. (g) Et Lauri, & Palmæ Victricis Reipublicæ non in terra, ſed in cælo radices ſuas agunt; illinc vegetantur, ut in terra floreant. Si Theodoſius Perſas jugulavit, debellavit Saracenos; DEUS metum incuſſit. Si Heraclius in tribus Coſrois Ducibus ter triumphavit, non armis, ſed prece bellum abſolvit. Vincebatur Clodophæus, & vincebat Germanus; proſiliit Rex ad vota, Chriſtianum ſe futurum, ſi vinceret, cum palmo pugnam, & bellum explevit, & primus Francorum Regum Chriſtianus factus eſt. Divinas literas conſule, non dabis impium principem non infelicem, nec religioſum non fortunatum in hoſtes. *Quotquot ex illis Regibus cultu, & obſervantia, quæ DEO debetur, impiè contemptis, legibúsq; juſtitiæ miniſtris pro nihilo ductis, ſuo faſtui, ſuisq; libidinibus verè indulgendum eſſe putârunt, omnes hi mali, & miſeri, malè, & miſerè perierunt. Contra verò, quicunq; ſe pios in illum declarârunt, quæquè illi placitura credebant, omni ope præſtare elaboraverunt, citra ſudorem, ac pulverem hoſte devicto, debellatóque triumphum cecinerunt.* (h) Suum, & Reipublicæ nudum latus hoſtili ferro objicit, cui pietate provocatus non militat æther. Ludit in humanis, non humana, ſed divina potentia rebus. Ratio ſtatûs ſolo DEO ſtat.

Carent fortunatis eventibus conſilia, quæ vel ſunt contra Dominum, vel non à Domino. Nullus omnia prævidet, & omnia providet, niſi qui omnia videt, DEUS. Nam *ſunt in Politica neceſſarii quidam, & nullo conſilio evitabiles errores, qui rerum humanarum conditionem nunquam ſine exceptione felicem, & humani judicii imbecillem aciem evidenter arguunt.* (i) Hoc nequè vitat, nequè emendat, niſi ex Deo & à Deo conſilium. Hinc ſapiens Cyri monitum Cambyſen inſtruentis: *Ut nihil publicum, aut privatum ageret, niſi priùs ad Deum confugeret.* (k) Quæ magnum fecit Scipionem, Religio fuit. Hic *ex quo togam virilem ſumpſit, nullo die priùs ullam publicam, privatámque rem egit, quàm in capitolium iret, ingreſſus ædem, conſideret, &c.* (l) Hæc ſi potuit ſuperſtitio; dic, quid faciet vera Religio? *Aurelianum infantem faſciolâ vinctum, è cunis levatum, Aquila in aram impoſuit, quæ juxta ſacellum fortè ſine ignibus erat.* (m) Ut ſcirent principes, cunas ſuas eſſe altaria, quando naſcuntur ad victorias. Secus mobilibus in cunis nunquam firmi viciſſitudine, niſi in DEI ara, quæ firma petra eſt, Religione quieſcant. O magni Principes! *Nihil eſt, quod ita nequeat occaſui ſubjacere, quàm vera Religio; Hæc eſt enim, quæ veſtrum firmat imperium, hoc quod veſtra regna conſervat.* (n)

Quantùm Numinis cultus extenditur, tantùm Reſpublica propagatur. Sic ſemper fuit *Eorum Imperiis amplificata Reſpublica, qui Religionibus paruêre.* (o) Reipublicæ cujuſpiam fata divinare contendis Aruſpex Politicus? Religionem inſpice, ex hoc ſigno certiùs, quàm victimæ viſceribus rem collegiſti. Si labeſcit pietas, non diu ſtabit bonum publicum. Tantæ molis Religio eſt, ut collapſa, maxima imperia conterat. *Peritura Troja perdidit primum Deos.* (p) Dubium, num ſtupidus magis, an impius Atheus, dùm è Republica Religionem exulem voluit. Dic Sodes, quis tum Dominus? quis ſervus? quis unum omnes colere? quis diſpendio rerum, & vitæ unum hominem integra imperia, aut docebit tueri, aut coget? Nemo hic ampliùs Princeps, quia nullus ſubditus, nemo ſubditus, quia nullus Princeps; ſiquidem *ſine Religione nequè Princeps officium ſuum, nequè ſubditi facient.* (q) Nihil decedit Principis magnitudini, quod DEO accedit, imò ſi quid decederet, ſic perdere lucrum eſt. *Quicunque glorificaverit me,*

me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. (r) Magnum Magnis exemplum humilis Theodosius Junior Imperator, cujus aurea verba: *Nam & nos, quia legitimi imperij armis non convenit, DEI templum ingressuri, foris arma relinquimus, & ipsum etiam diadema Regiæ Majestatis insigne deponimus, & sacra altaria munerum tantùm offerendorum causâ accedimus, quibus quoq; oblatis ad extimum, communeq; atrium mox nos recipimus.* (s) Tam sublimi pietate adeò profundè se demittens Cæsar quid amisit? cujus

Plena laurearum
Imperio fœta Domus
Vix numerat triumphos. (t)

Qui gloriam sibi quærit Princeps, Divinam promoveat, & suam inveniet. Jura sua, si inconcussa cupit, Divina tueatur, & sic ubi læsa, restauret. Nunquam erit invictus Hercules, qui imperat, nisi & Cælum noverit succollare Religione. *Felices Principes, qui suam potestatem ad DEI cultum dilatandum Majestati ejus famulam faciunt.* (u) Regium est, Deos in terris tueri. Illa quantumvis lapidea Ethnicorum pietas, fundamentum posuit Romanæ magnitudinis, quia hæc *omnia post Religionem ponenda semper duxit.* (x) Quia vagam nimis Fortunam Romana novit sagacitas, ut eam vincularet in servitutem, non aliâ pedicâ usa est, quàm Religione, quando *omnium magnarum rerum & principia Romani exorsi â Dijs sunt, & finem eum statuerunt.* (y) Desumat Christiana Politica, quid sperare ausit, si imperaverit Religiosa. *Est enim vinculum, & fundamentum Reipublicæ Religio.* (z) *Intuemini horum annorum vel secundas res, vel adversas, invenietis omnia prosperè evenisse sequentibus Deos, adversa spernentibus.* (aa) Ita Camillus ad Populum Romanum de suis, ego ad vos de nostris temporibus. Romanæ Magnitudini Christianam jungite, & majorem Austriacam, quæ ad amplianda imperia, cum verba nulla sufficiant, factis loquitur excellentiam Religionis. Primus, qui domum hanc Augustam reddidit Magnus Rudolphus Imperator, id pietate perfecit. Deum veneraturus ex equo descendit, ut thronum ascenderet Occidentis, nunquam venatus feliciùs, quàm dum Angelici panis escâ Aquilam cœpit Augustam. Equum donavit pro pomo, minimè imprudens, quia Imperiali. Genu flexit ante Dominum, ut sibi, & posteris adgenicularentur Imperia. Adoravit sub rotundo pane DEUM Eucharisticum, ut Se, Suosq; Orbis totius dominos coleret terræ circulus. Sceptrum alienâ incuriâ in coronatione defuit, Ille pietate suâ pendentem è Cruce DEUM arripuit, ut cum Augusta posteritate nunquam sceptri pateretur defectum. Tribus Crucifixi clavis stitit volubilem, imò affixit Stirpi suæ immobilem, non jam Fortunæ rotam, sed DEUM Fortunæ.

Vestigia secuti Imperio Rudolphi Magni Posteri non paria tantùm, sed majora dederunt Religionis documenta, imò prodigia. Inspice Carolos, & Ferdinandos in superiori, Philippos in inferiori Germania, imò & Gallia, & quæ Austriaca sit in DEUM Religio, fare, si stupor sinit. Nequis effari? scribe: *Fidem temporum testem appello, an non hodie, aut nulla, aut miserè afflicta in Europa esset Religio Catholica, si tanta Austriacarum opum vis non esset.* (bb) A Tumultuum principio ad annum usq; 1610. in Hollandicum bellum 180. Milliones impensi sunt. Ita Philippus ipse II. ep. ad Paulum Papam V. Quæris finem? audi Philippum, quamvis secreto in consilio loquentem, quem tamen intelliges, quia verè loquitur ferventer: *Sumptus quoscunq; præteritos, & quoscunq; imposterum Hispania facere potest, optimè mihi collocati, & collocandi videntur, dum vel in uno subditorum meorum Religio Catholica conservari*

 que-

queat. (cc) Hæſere attoniti Grandes, loquentem excipientes; hæres & tu? Non ego, quia Philippum novi Auſtriacum, in quibus ſimilia nihil novi. Vis plura? imò majora? accipe; ſed aures præpara, imò animos. Ferdinandus II. loquitur, Magnus Pace, & Bello Imperator. *Si mea morte poſſem promovere Religionem Catholicam, oro Deum, ut publicè coram toto mundo ab infami carnifice capite plectar!* (dd) Ampliùs ne dici poteſt? ampliùs, ſi idem dicit. *Suis ſe Provinciis, regniſque renuntiaturum citiùs, ac libentiùs, quàm conſiliò ullam amplificandæ Fidei occaſionem neglecturum.* (ee) *Malle ſe ſolo pane, & aquâ vitam trahere. Malle ſe cum conjuge, ac liberis ſolo Scipione inſtructum ire in exilium. Malle ſe oſtiatim panem mendicare. Malle ſe in fruſta concìdi, ac diſcerpi, quàm injuriam Deo, Eccleſiæq́; ab hæreticis in ſubditis ſibi Provinciis hactenus illatam diutiùs perferre.* (ff) Hæc negas prodigia? ſi ita; prodigium es ſtipitis. Si quid impium de Principe audis, aut legis, cape regulam: Auſtriacus non fuit. Si vocem audis Philippi II. Heſperiæ Monarchæ: *Si eveniret unquam, ut filius meus hæreſim amplexus, ab Eccleſia Romana deficeret, ligna, quibus ille concremaretur, ultrò ipſe ſubminiſtrarem.* Admirare, venerare Philippum, aſt non ſolùm, ſed omnes in eo Auſtriacos, nam omnibus una mens. Jactantia fuit Hadriani Imperatoris, qui ſuis numiſmatibus inſculpi fecit aquilam evolantem, alâ unâ Jovem, alterâ Junonem in ſublime efferentem. Modeſta veritas eſt, Aquilam Auſtriacam alâ unâ Deum, altera Dei Matrem in ſublime efferre. Hic hactenus unus labor Magnæ hujus Avis, hæc cura. Quo emolumento? Incomparabili. Romana Imperii Majeſtas, quam tot ſæculis tenet, ſatis non erat, quamvis vaſtiſſima, vaſtior Monarchia addi debuit Hiſpana. Imò pro tam Auguſta Familia vetere orbe nimis anguſto, novus inveniri debuit, ut latiùs imperaret *Domus ad ſummum faſtigium genita.* (gg) Non alio circino quam ſolaris cursûs circulo Auſtriacā amplitudinem metiri potes. *Ille temporum parens Sol, dum aliis occidit, in aliqua gentis Auſtriacæ provincia oritur, & diem facit, noctem neſcit, tantum Imperium, quod alicubi ſemper diem habet.* (hh)

Obvia hac Auſtriacæ Religionis adumbratione TE TIBI depingo Auguſte NEO-REX JOSEPHE, ut ſcires antequam eſſes, quid futurus ſis, dum es Auſtriacus. Majoribus tuis pietate nunquam minor, Auguſtæ earundem Religioni honorem cedes, non æmulationem. Ægypti filias nobiles torquibus aureis exornabant, quibus virtutum puellarium ſymbola artifex manus impreſſerat, in his, ut Pietatem exprimerent, alaudas pingebant. *Alaudæ* nativa ſunt hæreditas TIBI Auguſte NEO-REX, utſcias in tam vaſta Imperiorum ſucceſſione primam tibi hæreditatem eſſe Pietatis. Inter innumeras glorias, quibus æternitati commendaberis, maxima erit, quia veriſſima, Religio. Etenim *Tria Principem glorioſum faciunt, Potentia, Sapientia, & Religioſa mens.* (ii) Tanta tibi Imperia, qui reſervavit, Magnus Deus, idem cum augmento conſervabit; Futurus non in TE modo, ſed in Deum injurius, quisquis ſeu vi, ſeu dolo tibi infeſtus. *Quod ſi non ab hominibus, ſed à Deo ſunt regna, & per eum Reges regnant, ut Divinum oraculum pronuntiavit, non poteſt non ab eodem eſſe tanta, quanta eſt Auſtriacorum Imperiorum magnitudo, cui obniti nihil aliud eſt, quàm æternæ Providentiæ reſiſtere.* (kk)

(*a*) Sines: ar. de Reg. (*b*) Lipſ. L. 1. Polit. (*c*) Sidon. carm. 2. (*d*) Tertul. ad Scapul. (*e*) Plut. adverſus Colat. (*f*) Sen. de morte Claud. (*g*) Cic. in Vatin. (*h*) S. Cyril. Alex. L. de recta in Chriſtum fide ad Theod. (*i*) Forſtnerus in cap. 10. ann. Tac. (*k*) Xenoph. L. 8. Cyriped. (*l*) Liv. L. 26. (*m*) Calicrates Tyr. apud Rad. in Mart. (*n*) Joann. Pap. Ep. ad Juſt. Imp. (*o*) Cic. de Natura 2. (*p*) Arbit. Satyr. (*q*) Lipſ. monit. Pol. (*r*) Reg. 2. (*s*) Tom. 5. Concil. c. 21. (*t*) Claud. in Nupt. Hon. & M. (*u*) Auguſtin. L. 24. de Civit. (x) Valer. Max. L. 1. C. 1. (*y*) Liv. L. 45. (*z*) Lipſ. monit. polit. L. 1. C. 1. (*aa*) Liv. (*bb*) Vernulæus in Apol. Gent. Auſt. C. 2. (*cc*) Claud. Clemens. Diſſert. Chriſtanopolit. §. 3. (*dd*) Idem ibid. §. 5. (*ee*) (*ff*) Idem in eadem Diſſert. (*gg*) Lipſ. Cent. 2. ep. 98. (*hh*) Vernulæus Apol. gent. Auſtri. C. 2. (*ii*) J. C. ſum. Anglic. (*kk*) Vernulæus Apol. pro gente Auſtriæ C. 2.

RELIGIO FAUTRICEM SUAM COMMENDANS AUSTRIACAM DOMUM, PRO ILLIUS PERENNITATE PERORAT.

AUSTRIA, Regnantûm Genitrix, dominabere mundo,
Sceptrigera felix Jura datura manu.
Stabis; me Superi TIBI Firmamenta dederunt,
TU pia, quòd dederint me tua fulcra, facis.
Fulta mihi, nutare nequis; *Divina tuentis*
Imperij, nunquam ſorsq́, ſalusq́ ruunt.
Quò mare, quò tellus, quò Cœli ſidera currunt,
Relligio omnigenas menſa, remenſa vias.
Eſt vario (fateor) Divorum cultus in orbe:
Vidi ego thuricremos igne micare focos.
Una tamen reliquis, O AUSTRIA! charior oris,
Es mihi delicium, TU decus eſq; meum.
TU pretioſa Parens, ſacris fœcunda Monarchis,
Quos pius in Superos, ardor, amorq; regit.
Illis Cura *Deo* famulantia corda litare,
Primus & his Cœlo, ſacrificare labor.
Si memoro AUGUSTOS (HABSPURGI Nomina) Reges.
Tot mihi Cœlicolas Nomina magna dabunt.
Conditor AUSTRIADUM Pietate RUDOLPHUS inardet,
Aſtra, pius Princeps, MAXMILIANE colis.
Novi FERNANDOS zelo, cultûve valentes,
Et magè Pellæo ſacra parâſſe duce.
Non ceſſiſſe Numæ, plùs ſed coluiſſe PHILIPPOS
Cœlum, eſt Heſperijs Gloria prima plagis.
AUSTRIA ſemper habes divinæ laudis ALAUDAS,
Quêis recreent Numen, carmina blanda canunt.
Hinc flores, hinc Regna domas, hinc laurea ſerta
Circumfers, hinc TE Sors DEA mira fovet.
Hinc creſcis, pleno hinc te ditat Gratia cornu,
Hinc Charites largæ maxima dona ferunt.
Hinc fulges, hinc Regificis redimita Coronis,
Prodigium mundo, fauſtior una regis.
Regna fovet Pietas. Superos coluiſſe, beatos
Efficit, atq́ fovet proſperitate Thronos.
Regibus Aſtra favent zelantibus Axis honores,
Quiq́ colit Superos, ille Monarcha viget.
Non ſinit involvi vicibus DEUS illa ſiniſtris
Sceptra, Poli quorum eſt inſtituiſſe decus.
AUSTRIA tu noſti, Divorum experta favores,
Panchæo venerans Thuris odore DEOS:
Quid proſit dio Reges ſuccendier æſtu,
Utq; Polo ſacros Numina prona juvent.
Ottocari dum Marte videt ſua caſtra RUDOLPHUS
Diripienda, genu ſupplice vota facit.

Vota facit, revocatq; ſuas Victoria pennas,
Imponitq; pijs laurea ſerta comis.
MAXMILIANUS ovat, fuſo hoſte refertq; triumphos,
Victorem Pietas, Relligioq; facit.
AUSTRIACUS Macedo CAROLUS duce prælia Chriſto,
Piſcaiæ in portu fauſta fuiſſe docet.
Tempora FERNANDUS vixitq; ſecunda ſecundus,
Armigerum pro ſe dignus habere Polum.
Tota RUDOLPHIADUM Divis devota Propago,
Divorum ſtabili tuta perennat ope.
Sic HABSPURGA meas virtus dum nutrit acerras,
Imponitq; ſacris dona Sabæa focis.
Devincit Cœlos, & vinci neſcia floret;
Glorior! hoc noſtræ eſt Relligionis opus.
AUSTRIA fide meis cultrix innixa columnis,
Ut ſtes, ut nunquàm commoveâre, precor.
Ut fortunatas ſemper modereris habenas,
Sic oro æternos voce rogante Polos.
Numina! Relligio ſupplex vos Thure ſalutat,
Jungit & orantes, vos meritura, manus.
Cor ſervate Orbis, cor cuſtodite fidele,
AUSTRIACA eſt noſtrum cor, mea vita, DOMUS.
Eſte Aquilis Aquilæ, Superis defenſa ſub alis,
Hæc ſacra progenies Regia ſceptra rotet.
Me fovet, Illa parata ſuis ceſſiſſe Coronis,
Pro me ſolicito Facta labore movet.
Me cupit Illa omni ſanctè dominarier orbi:
Me cupit omnigenis Hæc habitare plagis.
Promovet, exaltat, zelans dilatat, & auget:
Cuſtos, ſervatrix Hæc mihi fida manet.
Exilium haud metuo, quod ſi illa ſuperſtes, Olympi
Filia non rabidas horreo tuta minas.
Tartareo quoties fueram conſumpta furore,
Heû Erebi quoties dente petenda fui!
Dextra RUDOLPHIADUM ſi non zeloſa juvamen,
Inſtantiq; malo ſuppeditaſſet opem.
Sæpius Andromedæ gemuiſſem triſtis imago,
Pabula monſtroſæ certa datura feræ.
Perſeus AUSTRIADES ni libertate cupita
Soluiſſet nimio membra ligata metu.
Extimui lapſûs flendas ſenſura ruinas,
Fulcrum ni AUSTRIACUS me tenuiſſet Atlas.
Deſinet hic nunquam mihi ſe dare fulcra baſimq;,
Nec metuo Cauros, nec feritate Notos.
Ut mihi ſubſternit tentatæ brachia fulcrum
AUSTRIACO Atlanti ſim quoq; fortis Atlas.
Atlas fortis ero, nam vos pia Numina vultis,
Cûi Pietas cordi eſt, ſtet Pietate Regens.

PRU-



Sandrart fecit

PRUDENTIA.

Quam vis non potuit, deducit in æquora molem
Arte Syracusij machina facta senis.
Ingenio regitur. Vastum Prudentia regni
Promovet, & potior viribus urget onus.
Austriaco fausti populi gaudete Monarchâ.
Consilium junctum robore Cæsar habet.



FRuctus honos oneris, fructus honoris onus nunquam veriùs, quàm in Principatu. Factus non fictus Reipublicæ Atlas gravissimam molem humeris suis imposuit; quisquis cum Principatûs honore in se recepit *arduum, & sujectum Fortunæ cuncta regendi onus.* (a) Gravissimarum rerum pondere pressus succumbet; si valida desit par ferendæ moli virtus, non humeris, sed capite. Regnantium Corona uni vertici imponitur, Politico indicio; Boni publici magnitudinem non valido sustineri lacerto, neq; robusta ossium, & nervorum compage, sed capite, uno ferendæ Reipublicæ instrumento, non cranij firmitate, sed cerebri vastitate. Hujus magnitudo mensura est magnitudinis Imperantium; quia inde *recta ratio agibilium*, Prudentia. Quando indissolubili nexu felici Principi nubit Fortuna, unam Prudentiam affert in dotem summum boni publici thesaurum. Cum publicum ærarium aut exhaustum, aut tenue, privatæ opes accisæ, belli nervus, & cum eo robur Reipublicæ, remissum; nihil amisit, qui regnat, si Prudentiam retinuit, sat dives modô recuperandi amissa. Secus omnia perdidit, etiam dum habet, jam amisit, Prudentiâ destitutus. Inde *Regium quidem ornamentum virtutum omnium concursus est; Prudentia tamen præ cæteris maximè Regi convenit*, (b) quia maximè necessaria. Quacunquè virtute neglecta durare potest in Solio, aut lege Rex, aut vi Tyrannus; sine Prudentia neutrum. Si in privata familia, quantò minùs in publica Fortuna *non potest esse bonum aliquod propriè sine Prudentia.* (c) Rudolphus I. Imperator Magnus pace, & bello Princeps, quod multâ experientiâ imperando didicit, ut alios doceret; symbolo suo verba præfixit: *Regni Prudentia Custos.* Ad publicam beatitudinem Fortuna donat media, usum Prudentia. Non acinaci, sed brachio pugnæ victoria adscribitur; quia hoc ille regitur; neq; armis, & opibus salus Reipublicæ attribuenda, sed Prudentiæ, quæ utrumq; moderatur. *Plura in summa Fortuna auspicijs, & consilijs, quàm telis, & navibus geruntur.* (d) Plùs mentis, quàm ferri acie in bello decertatur. Neq; manus, & tesa, sed caput præcipuum est victoriæ instrumentum. Magis semper ingenium Principis, quàm militum gladius in hostium vulnera acuendum est ad victoriæ triumphum. *Vis consilij expers ruit mole sua.* (e) Nunquam securiùs Cælum punit corpus Reipublicæ, quàm cum illi Caput præposuit sine capite. *Ineluctabilis fatorum vis, cujus fortunam mutare statuit, consilia corrumpit.* (f)

Prima illi sit prudentis consilij cura, qui Rempublicam curat. Paucis compen-

dio

dio verbis, ingenti ſenſu, difficillima omnium, & vix aſſequibili operis executione munus Imperantis deſcribitur. Circumſpectus etiam in minima, omnia videat, prævideat, provideat, temporis, & occaſionis nundinator: Argus in ſuorum, & exterorum intima, ignoret nihil, nihil ſibi caſu evenire patiatur. Ah grande molis negotium! Profectò vel hinc *ærumnoſum, & curarum innumerabilium videtur eſſe, alicujus officij Principem fieri.* (g) Fortiſſimus beſtiarum Leo, etiam dum dormit, non claudit oculos, ſemper vigil, quia ferarum Rex. Quodlibet Reipublicæ munus curâ quandoq; ſolvitur, ſibi indulget; Regnantium nunquam. Ut bene regat, perpetuò ſcrutetur neceſſe eſt futurorum diſpoſitiones, præſentium difficultates, præteritorum exempla; ut ex his remedium ponat prioribus ſapienti conſilio. Majorum exempla paribus Regum caſibus magnum ſunt magni conſilij compendium. *Certiſſima conjectatio colligere gerenda* geſtis. (h) Antequam agere cœperint, jam norunt rei eventum Regnantes, Majorum exemplo. *Exempla plurimùm in conſilijs poſſunt.* (i) Dubiarum rerum exitus hiſtoria Principem doceat, non experientia. Malè ſapit, qui ut ſaperet, prius deſipuit, factus prudens aut damno ſuo, aut periculo. *Miſera ex periculis facta Prudentia.* (k) Ne periculum ſubeat, cernat; num adſint apta fini media; diſcernat optima, priuſquàm negotium decernat.

Belli, & pacis Arbiter Princeps Reipublicæ Janus eſt, ſed bifrons; ut in omnem partem intentus omnia agat providè, & circumſpectè. Neq; malè dixerit politicus: ideo bifrontem Reipublicæ Janum; ut unâ eáq; tota mente in ærarium, altera in miniſtrorum munia reſpiciat. Ærarium, & Miniſter duo poli ſunt, quibus totũ, quantum eſt, ſemper vertitur cælum civilis beatitudinis. Ut utrumq; firmum ſervet Imperans; utrumq; accuratus obſervet. Sciat, num veniant, & quo abeant reditus, atq; ut uberiùs redeant, modum habeat prudens Oeconomus. Non dedecet magnos Imperantes publicæ œconomiæ ſtudium; ſiquidem munere ſuo *non dominationem, & ſervos, ſed rectorem, & cives Princeps cogitet.* Sine hac leve ſemper, quia vacuum eſt Principis ærarium: & cum eo neque Suis, neque Exteris Princeps magni ponderis. Aurum nunquam veriùs, quàm in Reipublicæ ærario metallorum graviſſimum: quia graviorem Principem, quàm ærarium reddit.

Ut uterq; gravis ſit, gravandi moderato tributo ſubditi: Verùm ut dent, da tu prior modum, unde accipiant, artibus, & commercijs. Natura comparatum eſt, imò Numinis altâ Providentiâ; ut pars orbis una alterius ope indigeat; mutuo ſibi reſpondeant beneficio; hinc humana coaluit ſocietas. Grandi pretio ingens damnum emit, qui Regionum amplitudinem bello comparavit Princeps, ſi malus œconomus; quia non accipere, ſed dare acquiſitis tributum debet de ſuo, ut ſervet. Vel in hoc *qui regnat, ſi ſapit, beatus eſt.* (m) Tum enimverò, quod ignoravit antea, primùm intelliget, quid ſit eſſe Imperatorem: Doctus æſtimare ſe, & ſua, idem docebit etiam Exteros, divite ærario, Miniſtrorum ſolertiâ cunctis formidabilis.

Nunquam tamen inſoleſcat potentiâ, memor veritatis;

Nunquam placidam Regna quietem,
Certumve ſui tenuere diem. (n)

Nullus hoſtis adeò debilis, ut contemnendus. Etiam muſculus elephanto ſufficit ad interitum. *Brevibus momentis ſumma verti poſſunt.* (o) Si vel minimus adverſetur, non temerè rejiciendus, ſed conſilio; quia temeritas nunquam ſine diſpendio. *Conſilia callida, & audacia prima ſpecie læta, tractatu dura, eventu triſtia.* (p) Ex adverſo: *Illa ſunt robuſta, illa diuturna, quæ Prudentia incipit, cura cuſtodit.* (q)

Nun-

Nunquam uno in negotio uni fidat consilio, pluribus semper in plures eventus paratus: si non cedat unum, succedat alterum; præsertim, si cum callido hoste negotium, qui uti facilè animadvertere, ita avertere, imò in damnum tuum invertere consilia potest. Callidè cum callidis, vel tum maximè tibi suspectis, cum videntur simplicissimi. Est sanè, & recens, sœculi nostri genus Politicæ, negotia sine ambagibus, sine mysterijs, palàm & apertè parare, bello præsertim, ut aggressurus vincas faciliùs, dum fraudibus assueti longè alia te meditari credunt, parati ad resistendum alibi, imparati in id, quod apertè divulgâsti. *Sic Sapientia & Consilio magis quàm armis tutantur Respublicæ.* (r)

Hæc Imperantium *magna negotia, magnis adjutoribus egent*: (s) siquidem humana imbecillitate *non potest scientiâ suâ Princeps cuncta complecti.* (t) Manus manum lavat, & alterius auxilio vivit alter, etiam Imperans. Plures oculi plura vident, in Politia etiam plurimi non omnia. Plures habeat, qui sapienter regnat; ut *discat à peritis, sequatur optimos.* (u) Quos ut aptos seligat, inspiciat peritiam & ingenium, sed omnium maximè animi genium. Consilia semper cognatione quadam occultâ sequuntur genium. Sciat, *nullum virum impium prudentem esse posse.* (x) Hinc sapientes Principes arcanis etiam negotijs Ecclesiasticæ dignitatis viros miscuerunt, tutiores horum consilio, quo illi probiores animo: Hos *Princeps ore libero loquentes amet, blandientes odio habeat.* (y) Nulli enim magis, quàm Imperantibus *pessimum genus hominum, qui verba gestant.* (z) Verùm sic agat, ut omnia eorundem sensa sibi, non sua ipsis pateant, quantumvis fidissimis; nam ad rerum agendarum securitatem eos *tam nescire quædam, quàm scire oportet.* (aa) Semper armatus meliùs in perfidiam stat Imperans, qui occultum sibi telum reservavit.

Cum ad operis executionem medijs eget Ministris, *Non uni omnia deferenda, plures faciliùs munia Reipublicæ sociatis laboribus exequuntur.* (bb) Nunquam admittit prudens Politica, ut in unum subditum nimia conferatur potentia. Suspectus regnanti Minister, quia omnia unus ministrare prensat; multùm obsequiosus famulandi titulo petit imperare Princeps alter: sed *nil salutare agi potest, ubi qui parere debebant, imperare volunt.* (cc) Si cœlum Reipublicæ secundum Solem non patitur Dominum, quomodo famulum Principem? Monstrum est Politicum biceps, Reipublicæ præsertim, si capitis locum etiam pes obtinet. *Non multùm fiduciæ in corona ponendum, ubi supra caput calceos cernis.* (dd) Quantùm extra subditi sphæram crevit potestate Minister, tantùm Princeps decrevit dignitate. *Præcipuum indicium non magni Principis, magni liberti.* (ee)

Tam magnus quisquè est, quantùm alij erga se minores; tunc maximus, si solus magnus; tunc solus, si ipse rebus adsit. Quod magnum reddidit Trajanum, illud erat, quòd *velocissimi syderis more omnia inuisere, omnia audire, & undecunquè invocatum velut Numen adesse, & assistere solitus sit.* (ff) Quid immortale illud decus Austriæ Quintum Carolum incomparabilem sœculis triumphatorem effecit? præsentia. Verè belli fulmen, jam in Africa, mox in Europa, modò in Germania, iterum in Hispania, non tam tonabat fulminis more bellicis facinoribus, quàm fulgurabat victoriarum & gloriæ splendoribus; quia prior ipse rebus præsens, quàm adesse posse crederetur. Idoli Aulici consilium est: *Principibus adeunda sæpius longinqua imperia.* (gg) Si non corpore, saltem mente per mappas geographicas peregrinentur quotidie, propria inspiciant, extera considerent; videant aliorum vires, mensurent suas, & commensurent; sic prosperè regnabunt. Philippus II. Hispaniarum Rex, Maximus Orbis Monarcha, quem nec sol integrum vidit, nisi orbem totum

circumiret; perſpicaci ſedulitate ſe tantum fecit, dum domi ſedens politica lance librabat continuò non ſuam modò, ſed terrarum orbis, bello & pace, fortunam. Apud ſapientem Principem, *opes publicæ contineantur, quantùm civium ſociorúmque in armis, quot claſſes, provinciæ, tributa, aut vectigalia, aut neceſſitates, aut largitiones.* (hh) *Multi enim ignorant vires ſuas, & dum ſe tam magnos, quàm audiunt* (ab adulatoribus & paraſytis) *credunt, attrahunt ſupervacua, & in diſcrimen rerum omnium ſuperventura bella.* (ii) Magnorum error nunquam parvus, quia nunquam de parvis, quantumvis parvâ negligentiâ.

Nihil negligendum Imperantibus, tempus minimè. Momenta rerum ſumma momentum tenet. Quod prudens parturijt conſilium, non tumulet inutilis mora. *Cunctando ſeneſcunt conſilia.* (kk) uti ſenes invalidi corpore, ita conſilia cunctatione ſine viribus. *Cunctatio ſervilis: ſtatim exequi Regium eſt.* (ll) Præcipitantia quidem ſemper Principi cavenda, quia indiviſa comes periculoſi diſcriminis: Princeps autem *non omittere caput rerum debet, neq; ſe, remq; publicam in caſum dare.* (mm) Verùm Politico hìc opus perſpicillio, gnaviter luſtrante, ne *quod ſegnities eſt, ſapientia vocetur.* (nn) In dubijs & periculoſis negotijs

Graviorum turba malorum

Texitur, ignavis trahimus dum tempora votis. (oo)

Si tamen ita fert rerum inconſtantia, & mutatæ vices: Tempora Tempore Tempera. Cede tempori etiam recedendo à conſilio. *Honeſtè cedit, qui tempori cedit.* (pp) *Non putabam* vox probroſa antiquis in omni viro, præſertim Principe, ſed quamdiu homines ſumus, quandoquè neceſſaria. Melior eſt conſilij mutatio, quàm error. *Non eſt levitas à cognito, & damnato errore diſcedere; ſed ingenuè fatendum eſt: aliud putavi, deceptus ſum. Hæc verò ſuperbæ ſtultitiæ perſeverantia eſt.* (qq) Paucis multa; Tota publica fortuna, prudens Imperans, et *tum beatæ Reſpublicæ, ſi aut docti aut ſapientes homines eas regere cœperint, aut qui regerent, omne ſtudium in doctrina & Sapientia collocarent.* (rr)

Atq; hinc beatam dicent Germaniam omnes Generationes, etiam exteræ, quæ ſapientiſſimo conſilio de ſapienti ſibi Principe providit in TE, Auguſte NEO-REX JOSEPHE. Ex Juventute Druſus prævidit inflexibilem gravitatem Catonis, Scipio Politicam Marij prudentiam, Pompeius conſtantem libertatem Caſſij, Sylla incomparabilem magnanimitatem Pompeij. Etiam in tenerioribus annis tuis, quia Prudentiam moderando Orbi parem non levibus indicijs collegit ſereniſſimum Electorum Collegium, TE Magne Princeps, in ſuum ſibi caput delegit. Collecta ex Auguſta Tua Indole Prudentia vota collegit Principum, ut de Te ad ſupremum Orbis faſtigium evehendo non tam ſuis, quàm Orbis univerſi votis conſpirarent. Non mirum; ſiquidem

Cæſaribus virtus contigit ante diem. (ss)

Cæſar dignitate, Cæſar ſapientiâ, æmulus primi Cæſarum, cui in moderanda Republica *nihil incognitum, conſilia, loca; prompta, occulta noverat, aſtuſq; hoſtium in perniciem ipſis vertebat.* (tt) Ita ſanè in hoſtium perniciem nullum aliquando lethalius telum Prudentiâ Tuâ. Hæc juſtiſſima Tua cœpta triumphali exitu coronabit, dum aliàs *ſæpe honeſtas rerum cauſas, nî judicium adhibeas, pernicioſi exitus conſequuntur.* (uu)

(*a*) Tacit. 1.an. (*b*) Sines: ar. de regno. (*c*) Ariſt. 6. Eth. c. 5. (*d*) Tacit. 13 an. (*e*) Horat ode. 3. (*f*) Velleius l. 2. (*g*) Apuleius de mundo. (*h*) Pac. Paneg. (*i*) Fab. 3. c. 10. (*k*) Plin. Paneg. (*l*) Tacit 13. an. (*m*) Apuleius de Syll. categ. (*n*) Senec. in Agam. (*o*) Tac. 2. an. (*p*) Liv. l. 35. (*q*) Caſſiod' i. 25. (*r*) Plato (*s*) Velleius l. 2. (*t*) Tac. 3. an. (*u*) Tacit. vita Agr. (*x*) Ariſt. in Ethic. (*y*) Dio l. 56. (*z*) Sen. ep. 123. (*aa*) Tacit. 1. hiſt. (*bb*) Tacit. an. 1. (*cc*) Dio l. 41. (*dd*) Plut. de geren. rep. (*ee*) Plin. Paneg. (*ff*) Plin. Paneg. (*gg*) Tacit. 3. an. (*hh*) Tacit. 1. an. (*ii*) Sen. 6. de benef. c. 30. (*kk*) (*ll*) Tacit. 6. an. (*mm*) Tacit. 1. an. (*nn*) Tacit. 1. hiſt. (*oo*) Claud. 2. Eutrop. (*pp*) Lips. l. de vera Relig. (*qq*) Sen. de benef. c. 38. (*rr*) Plato. Cic. ad Q. Fr. (*ss*) Rigard. 159. (*tt*) Tac. 2. an. (*uu*) Tacit. 6. an.

PRUDENTIA IMPERATORIARUM VIRTUTUM PRÆSES.

Everte fractis Roma marmoribus feri
Everte Regis atria:
Everte Memphis, quas tuis quondam Dijs
Perennè ſtare juſſeras
Pyramidas. Iſter nempe non aliam ſacræ
Adorat Ædis Præſidem,
Niſi AUSTRIORUM Regiâ natam Arbitram
Te Diva, Te Prudentia!
Miraris ætas priſca? poſthumæ lege,
Vide, ſtupeſce tempora.
Eſt DOMUS ab Aquilis celebris, & laudem quoq;
Traxit ab ALAUDIS. Sanctius
Regina ſpirans Numen hîc ſceptrum rotat
Vigiliq; penſat lumine
Momenta Regni. Num enſe felici arbitro
Gradivus arma provehat?
Civeſq; juſtâ lance moderetur Themis?
Num Res-avitis-publicæ
Pronum renatæ legibus tollant caput?
Sic Regna cautè deſpicit,
Parteſq; in omnes Præſes excubias agens,
Conſilia Regum temperat,
Legeſq; dictat. Hoc ab Auguſto Lare
Tot prodijſſe maxima
Mavortis hodie Fulmina Heroës liquet,
Quot noſtra magni nominis
Auſtria remenſis Cæſares ceris legit,
Queîs ulla vix *Felicitas*,
Innumera ſed *Prudentia* elâpſis retrò
Trophæa luſtris contulit,
Et ad triumphos regiam domito viam
Niveas quadrigas præparans
Aperuit hoſte. Scilicet non tam viri,
Reges, ſagacis ingeniî
Mucrone, quàm *Ratione* confundi ſui
Hoſtes ſciebant Imperiî.
Hinc Cæſar etſi nomen *Invicti* tulit,
Aut *Glorioſus* audijt?
Aut *Magnus* ipſis inſeruit Aſtris caput?
Reſpondit omen nomini,
Si pulchra *Sapiens* facta conſilijs probet.
LEOPOLDE prime Cæſarum!
Hoc jure Primum vendicas tibi decus;
Nam prima dos Prudentia

Ut debet esse Principum, & Regum Nota:
Devota sic Prudentia,
Et sola Primo debuit fieri nota,
Quâ terminaret Arbitrâ,
Quoscunq; lentis seu domi motus diu
Armata coxit fraudibus
Perfidia; seu quas patrijs pleno impetu
Regnis procellas Thracicus
Infudit æstus. Ipsa Lætitiæ suo
Vena aruisset alveo
Vienna, nuper quando Threjcia æneam
Bis mille foeta Barbaris
Depluit in ipsum grandinem nubes sinum;
Ni vel per ipsa Bistonum
Calcata præceps funera gradiens viam
Certæ ad salutis anchoram
Prudentia Tua, Magne LEOPOLDE! inviæ
Fecisset urbi. Scilicet
Nullo Viennæ Marte jam venit Salus,
Spes nulla ab armis fulserat.
Quid enim salutis Marte sperâsses, ubi
Solis sub unda piscibus,
Avibus in aura liberum solis iter
Relictum ad urbem cerneres?
Sed quam negârunt arma, LEOPOLDI dedit
Prudentia urbi semitam.
Prudentis Hæres Indolis, & alter Patris
Rex Gnatus audit Æmulus,
Qui majus annis ingeniî robur parat,
Dignosq; Rege spiritus
Cum lacte sugens, audet in teneris ea,
Quæ vix labore consequi
Herculeus ausit animus. Integram AUSTRIA,
Jam spem resume, & fraudibus,
Liquidisq; dudum cocta consilia dolis
Sub laureato vertice
Ruitura crede, quando JOSEPHUM alterâ
Clarum Coronâ Patriæ
Plaudentis inter vota Romani novum
Regem salutas Imperiî.
Sic ominari certus eventus jubet,
Hac lege dum Prudentia
Teneris ab annis imbuit Regem, ut suos
Clemens *Amore* subditos
Regere, severus sed jugum vindex pati
Hostes *Timore* disceret.

JU-



J. Schupert von Ehrenberg inv: 3 C I.I. von Sandrart fecit.

JUSTITIA.

Cûiq; suus speculi datur hac sub imagine vultus:
Justitiæ quis non dixerit esse typum?
Nomine Justitiæ quidquid venit, omnia Magni
Cæsaris, & virtus omnia Matris habet.
Exprimis Augustos animo JOSEPHE Parentes;
Justitiæ speculum es, quis neget? AUSTRIACÆ.



NUlla virtus, quæ non deceat Principem, nulla quæ non ornet, sola Justitia facit. Nequè ullo vitio citiùs Princeps desijt esse Dominus, quàm iniquitate. A regendo Reges dicti juxta nominis etymon non sibi, sed alijs facti sunt; ut per illos alij invicem, ipsi omnibus, *reddant cûiq; suum.*

Hoc uno Reges olim sunt fine creati,
Dicere jus populis, injustaq; tollere facta.

Propria Regum virtus, quâ Purpura à centone secernitur; sine qua quisquis imperat personatus in scena Princeps est, & cum eo Respublica præter inane nomen, nihil. Ad Plutarchi mentem, *ne Jupiter quidem rectè imperare potest sine Justitia.* (a) Non mirum; siquidem anima Reipublicæ æquitas est, quæ si exspiraverit, pulcherrima quæq; communitas deforme cadaver est. Bellè Augustinus: *Remotâ Justitiâ, quid sunt regna, nisi magna Latrocinia?* (b)

Ultima Cœlestûm terras Astræa reliquit, (c)

Principes sui loco terris imposuit terrestria Numina, quibus suam commisit bilancem, unicum regnantium instrumentum, quo se perpetuò occupent; *ut constanti, & perpetua voluntate Jus suum cuiq; tribuant.* (d) Hinc *Jovis Alumnos* Antiquitas dixit, quorum servare bonos, plectere sceleratos, universos legibus moderari unicum negotium. Sanè magna pars Deitatis est Princeps justus; naturâ inferior, par officio, in se minor, in alios cum Dijs idem. Quem omnes super terram respiciunt, unum extra terram Numen suspicit se majus; cui nunquam aptiùs litat, imò gratiùs, quàm ad Themidis altare thura bonarum legum.

Provida severitate curet Princeps, ne fundata legibus eversa videantur. (e) Nequè honori, nequè utilitati suæ consuluit Novator. *Veteribus, nisi quæ usus evidenter arguit, standum.* (f) Prima boni Regnantis solicitudo legum observantia. Omnium Dominus, solius legis servus est. Omnes uni serviunt, ut unus legi serviat. *Publicæ utilitatis minister, & æquitatis servus, nec supra leges est; sed leges supra Principem.* (g) Infelix Respublica, ubi legum sanctitas Regnantis voluntas est; quæ si publicam salutem fragilitate sua circumferat, cum sœpius cespitet; quid mirùm, si casum secum trahat universorum. Monet Tullius pro Cluent. *Judex cogitet tantùm sibi permissum esse, quantùm commissum, & creditum sit*: ut non quod lubet, liceat; sed quod per leges licet; lubeat: secùs, lege excussâ, facilè Princeps ipse excutitur, cum sola lex sit modificatio Politica, quæ Principem Throno affigit.

Non ſemper perfidorum malitia, ſœpe imperantum injuſtitia ſeditionum mater eſt. Qui Deorum immortalium favores Principi & precari, & expetere debet ſubditus, ſœpe ultores invocat Rhadamantos. Neſciunt ſœpe Coronata Capita, unde Regnorum infortunia, ſuorum clades, & ruinæ; dum eſt, qui latens in angulo amarus animus Nemeſim è cœlo provocat injuriæ ultricem. Pauperum querelæ cælos penetrant, dum alteri ſuccumbunt, quia potentiori. Maximi Principes pro minimis maximè facti ſunt, ut à præpotentibus tueantur. Inæqualia Reipublicæ membra in Juſtitiæ libra æqualem ſedem obtinent, imò quia minora, in bilance faciliùs locum inveniunt ſub bono Imperante. Malè audit, qui regit, ſi non infimos prómptus audit. Viduæ deſolatæ, pauperes pupilli Juſtitiæ pupilla ſunt, quos quiſquis læſit, offendit Juſtitiam, ubi delicatiſſima eſt. Magnus Rudolphus Auſtriaci Imperij phoſphorus Magni Principis punctum tulit, quando tenuiores ad ſe volentes à ſatellitio ſubmoveri cernens cum ſtomacho dixit: *Per Deum! ſinite homines ad me venire, non enim ideò ad Imperium ſum vocatus, ut in arcula includar.* (h) Si pari in officio, etſi impar dignitate, paria & dixiſſet, & feciſſet Philippus Macedonius, à repulſa vili anu non ſenſiſſet aculeum objurgatus, dum audijt: *Si Rex: audi, & judica: ſi nolis; alium præeſſe ſine.* (i) Audacula non parum anus, & ſenili in corpore nimiùm vegeti ſpiritûs. Verùm nihil æquè effrontes, & cultûs in Principem oblitos reddit ſubditos, quàm negata Juſtitia.

Rerum in Regno arbiter, uti bilancis, ita & oculorum faſciæ ab Aſtræa acceptæ nunquam obliviſcatur; ut obligatis oculis, dum judicat, nullum reſpiciat. Ut æquum tangat Juſtitia, nũquam meliùs videt, quàm cùm cœca eſt. Neque meliorẽ inter litigãtes partem eligit, quàm cùm nullius perſonam aſpicit: imò, ſi ita opus, neque ſuam. Nihil fere majus ad Trajani ſui laudes ferre poterat encomiaſtes, quam ubi dixit: *Glòria tua eſt præcipua, ſœpe vincitur fiſcus, cujus mala cauſa nunquam eſt, niſi ſub bono Principe.* (k) Gratulor tibi fortunata ætas, cui Trajani contigerunt Principes, aut Trajano pares. Quàm pulchrum facinus, dignum Trajano Imperante, fuit, qui dum Prætorio Præfectum in omnium conſpectu gladio præcingeret, palàm edixit: *Accipe ferrum hoc, & ſiquidem rectè Imperium geſſero, pro me; ſin aliter, contra me hoc utere.* (l) Non noſſe ſeipſum, in cæteris omnibus vitio eſt, in ſola Juſtitia virtutis.

Quamdiù hominem noſti, nulli ſic fide; ut ſuperioris oculo ſe liberum ſciat. Cui nimiùm fiditur, ſæpe præfidit. *Quis erubeſcit dicere? quid mihi dabis, ut tibi juſtitiam faciam? nam ut per ſe ipſa exhibeatur, fruſtra exſpectas.* (m) Prima Imperantis cura miniſtrorum ſelectus: quos non affectus, minùs pecunia munijs aptet, ſed virtus. Opto falſum dixerit Glaber. 2. *Reges, qui idonearum decretores perſonarum eſſe debuerant, munerũ largitione corrupti, potiorem ad regimen judicant, à quo ampliora ſperant.* (n) Opto inquam, non ſcio. *Certè malè ſe res habet: quod, cum virtute effici debet, id tentatur pecuniâ.* (o) Hinc confuſio rerum, hinc patens porta ſceleribus, hinc ilias malorum. Neque opus longiùs cauſam inquirere, ſiquidem *neceſſe eſt, ut qui emit, vendat.* (p) Ah ferrea tempora! quibus in Juſtitiæ libra non jura, ſed aurum ponderatur. Utinam ſolus fuerit Octavianus Auguſtus, cujus gubernium uſuris, & violentiâ Publicani infamârunt. Majori imputatur, quod minor facit: ſi ille, cùm poteſt, & debet, non impedit. *Principis invidiâ ab Officiarijs peccatur,* (q) Idoli Politici oraculum eſt; ſi diſſimulat, ſi parcat, cùm iniquum videt.

Quilibet ſui erroris reus eſt miniſter; Princeps omnium; ſi dum publico providit de judice, non prævidit ex ejus moribus vitia; peſſimè autem omnium, ſi dum malè acta ſcivit, non revidit ad correctionem. Non abeat impunè, qui publicæ injurius fuit fortunæ. Remittere injuriam Principis vix eſt, niſi ſuam. Uni quando-

quandoq; parcens, plures ferit: & dum unum plectit, multis prodest gubernator. Maximæ laudis Alphonso est Palentini Episcopi testimonium: quod in ejus regimine non opus erat Hispaniæ lictoribus; quia omnis injuria exulabat Principis justitiâ. Sic unius interitu plures servantur: & unica sæpe nocentis mors multos vivificat. Uti physico hominis, sic morali Reipublicæ corpori, ut à putredine & curetur, & præservetur, salutaris est moderata phlebotomia. Consulum Securis maxima regnorum securitas est. Natura non inducit subjectis formas, ubi nulla proportio: nec ratio status magistratibus viros, quibus nulla habilitas. Qui Bucephalum suum ad Romani Consulis dignitatem evexit Caligula, ut ut ridiculus posteris, Politicæ tamen moralitati dubium reliquit; num solus fuerit. Parum interest infelicitati Reipublicæ, seu hominis, seu equi vitio intereat.

Qui muneri publico Ministrum sui loco substituit, non tam potestate, quàm virtute statuat alterum se. Non ætas, non patria, non conditio obstent, si adest virtus. Quis, quid, & undecunq; sit, ultrò accersendus à bono Principe, quia bonus. Cùm aliquem rerum magnarum capacem audit, imò vel suspicatur; captet, qui solicitè regit, notitiam: vocet: applicet salubre malis Reipublicæ cataplasma. Qui aptos ad munia approbat, aptum se imperio probat: indignum, si indignos. O quot latent frequenter in obscuro noctis perspicaces aquilæ, dum noctuæ supra candelabrum positæ diei præsunt! verè noctuæ Reipublicæ, quia fatales. Quoties magnas indoles ad altissima quæq; velut ad cælum natas ingeminare cogit justus dolor æmulam Junonis vocem:

Soror Tonantis (hoc enim solum mihi
Nomen relictum est) semper alienum Jovem,
Ac templa summi vidua deserui ætheris,
Locumq; cœlo pulsa pellicibus dedi:
Tellus colenda est, pellices cœlum tenent. (r)

Jacent nimirum in terra abjecti, quia *hominem non habent*, (s) qui elevet. Merita subditorum boni Principis regula sunt, ad cujus amssim non arithmeticè, sed geometricè favores suos conformet.

In honore, & in onere servanda proportio: minùs habentes in capite, non nimis efferendi dignitate: minùs possidentes in facultate non nimis deprimendi oneribus. Iniquum est gravare omnes, ut unus sublevetur. Iniquissimum, pauperum sanguine unius vitam alere parasiti. Tot titulis laudabilis Octavianus Augustus, iniqui notam non subterfugit, qui ad tributi onera uno in libro omnium nomina conscripsit, sed non divitias. Arare cum bove, & asello, vetitum est; ne idem jugum, quod robustior tulit, ferat debilior. Suum cuiq; jus, suus cuiq; honos, suum cuiq; onus. Non omnibus æqualia jura, nec æqualia onera; quia non æquales facultates. Hæc gubernantium ars maxima honore, & onere congruo præesse: In hoc *à Principe imprimis justitiæ cura flagitatur.* (t)

Hoc agat, hoc exigat, & si opus, vi cogat. Gladium portat & potestatis, & potentiæ insigne. Si negat subjectus, pœna Magistratûs; si exterus, belli vis extorqueat. Jus, & vis ijsdem literis, velut una prognati origine fratres sunt, quantumvis discordes. Caveat qui imperat; ne solitaria vis sine fratre procedat: hominum, Deorumq; præda exponatur, ad vindictæ aras victima indignationi immolanda. Vis, quando Juri sociata procedit, facilè viæ comitem nanciscitur Fortunam. Hæc Juris constans amasia, undiq; post illud currit. Populus Romanus contra Pyrrhum bella gerens,

dum pecuniæ passus inopiam, Junonem consuluit, responsum tulit: *ut Justitia armis bellaret: tunc pecuniam, & victoriam habiturum.* (u) Cum æqua est, & non alia, suum cuiq; tribuendi via, gladium Princeps exerat, acuat, ut partes dividat, optimam sibi reservaturus Justi nomine immortalitatem. Continuò magnorum animus recolat: *Optimum quemq; niti, & contendere debere, ut post se quoq; Reipublicæ prosit, moderationis scilicet, Justitiæq; monumentis.* (x) Nunquam justiùs perennabit, quàm justi famâ, qui regnat.

Æquus fuit Justitiæ æstimator sapiens Pericles; cùm adulatrices Athenæ multis, & splendidis titulis illum posteritati commendare meditarentur: unam elegit antonomasiam, quâ dici voluit *Pericles Justus.* Uno hoc vocabulo non unam periodum, sed totam absolvi credidit boni Principis panegyrim. Nec immeritò, quia *nullum æquè convenit regi, quàm justitiæ munus.* (y) Quid antiquis opus, recentiora habe, imò domestica. Fridericus Imperator Austriacus, dum non tam impia, quàm rustica, quia crassa quorundam Politica ei inconsultè suggereret, ut duo potentissima Hungariæ, & Bohemiæ regna, ad ingens Principatûs sui incrementum, unico intoxicatæ aquæ haustu emeret, quam regnorum hæres legitimus, impubes Ladislaus fidei Imperatoriæ creditus, ebiberet: indignatus erubescere fecit susurrones, dū diceret: *Quid ergò? divitem potiùs, quàm justum regem vultis?* O Vox digna Magno Principe, digna Austriaco! *Digna vox est Majestate regnantis legibus alligatum se profiteri.* (z) Digna vox regnante, imò quæ regnet; siquidem *Principis Legitimi est jus æquabile, honorabile, incorruptè judicare, semper meditari justitiam.* (aa) Plusquàm verum est: *sine justitia nec Respublica, nec exiguus hominum cœtus, imò ne domus quidem parva constabit.* (bb)

Et hoc erat, cur TE Magne Princeps, POTENTISSIME NEO-REX, tot Regnorum vota, populorum suspiria, subditorum unita lachrymis desideria adeò ferventi prece è cœlo sibi donari efflagitarunt; quia probè norant, si Principem obtineant AUSTRIACUM, Politico-morali synonymo habebunt JUSTUM. Astræa Justitiæ Præses DEA, cujus stellatis lancibus fit magna illa Justitia dierum, & noctium, in ipso cœlo primum AUSTRALIUM signorum est: Ut Politicus Astrologus morali oculo sidus intuens sciat, Justitiam non Cæsaream tantùm, & Augustam, sed AUSTRIACAM virtutem. Nunquam tulit orbis majora, quàm á Majoribus Tuis justitiæ documenta, seu Aquilis Augustis, seu Leone insignibus Monarchis. Ab His POTENTISSIME NEO-Rex cum avito sanguine, uti maximi Principis dignitatem, ita Justissimi virtutem traxisti hæreditariam. In Urbe natus, cui Libræ sidus dominatur, Justitiæ sede: ut scires solam Tibi á prima luce imperâsse Æquitatem, ut omnibus Imperares Æquitate. Seu pace tuos moderaberis, seu bello, Jus tuum aut tutaberis, aut repetes; ibis felicibus Aquilis, quia Justis. Dum fortis requires, quæ tua sunt, Dignam Te Imperatorum Phænicis CAROLI QUINTI progeniem probabis, quando Te Victorem orbis audiet similia CAROLO verba ingeminantem, qui dum Franciscum Regem bello repelleret, dignam tanto Principe usurpavit vocem: *Etsi totum Franciæ Regnum debellassem; redderem illud Regi; modò id, quod jure meum esse contendo; mihi relinqueret.*

(*a*) Plutarch. ad Princ. indoct. (*b*) Aug. l. 2 de civit. Dei. (*c*) Ovid. 1 metam. (*d*) Ulpianus l. de Just. §. de Just. & jure. Liv. l. 34. (*e*) Plin. Paneg. (*f*) Liv. l. 34. (*g*) Plin. Paneg. (*h*) Lip. monit. Polit. l. 2. c. 6. (*i*) Idem. ibid. (*k*) Plin. Paneg. (*l*) Niceph. l. 3. Eccl hist. c. 33. (*m*) Sarest. 5. 16. (a) Glaber 2. (*o*) Cic: de off. 2. (*p*) Lampr. in Alex. Seu. (*q*) Tacit: Annal. 3. (*r*) Seneca in Herc. fur. (*s*) Joan. 5. (*t*) Valentin. apud Zonar. tom. 3. (*u*) Suidas de Moneta Roman. (*x*) Plin. Paneg. (*y*) Plutarch. in Demetr. (*z*) L. 4. de legibus. (*aa*) Philo de Creat. Princip. (*bb*) Bachroch.

JU-

DE JUSTITIA CAROLI V. NUNQUAM SUA, SEMPER ALIENA VOLUNTATE ARMA CORRIPIENTIS.

QUæ vena Vatum, CAROLE Maxime,
Plenis honorum muneribus Tuas
Jus, Fasq; Virtutes ad unguem
Per lituos, & acuta belli
Effingat ? ô ! quem sol habitabilem
Vidit per oram, Æquissime Cæsarum,
Quem Fama, palmaresq; laudes,
Et famulô volucris triumphô
Latè per orbes gloria subditos
Duxit, secutis Principibus procul,
Quos Roma, Græcorumq; fastus
Indigetes, Superosq; dixit.
Te Peruanô Rex Atabalida
Captivus aurô, & divite Mexicô,
Qui sceptra Motezuma flexit,
Depositus didicêre, vindex
Quid Marte posses. Te gemini leves
Indi Pharetræ plùs vice simplici
Sensêre victorem, ac remissos
Brasilie tibi stravit arcus.
Te qui rapinâ victitat Armenus,
Maurusq; & Afer, Te profugus Nomas,
Chilique Regnator potentis
Compositis veneratus armis.
Te militaris mænia Belgiæ,
Hetrusca tellus, Te genibus minor
Gallus, supinatusq; plagis
Pacificum pepigit Sicamber.
Te non paventes funera Teutones,
Bojusq;, & Anglus, Te Pelopis Domus
Audivit, invictisq; Pyrrho
Chaonie tibi cessit Argis.
Quid fracta Thraci tela satelliti,
Cæcamq; dicam Bistonidum fugam,
Aut ter fatigatos ruinis
Odrysijs memorem Tyrannos ?
Te pronâ adoravêre crepidine
Ararq;, & Albis, Te famulus tulit
Garumna, & immensùm receptis
Danubius tibi crevit undis.
Te victus arsit flumine supplici
Cum Scalde Rhenus, Te Rhodanus celer,
Visurgis, & Mosa, & superbô
Eridanus coluêre fluctu.

Te belluosi littora Caspij,
Audaxq; nigri navita Bosphori,
Te Xanthus, Eurotasq; fortis,
Te Tanais procul unda pavit.
Audimur? an me fausta frementium
Illudit Echo sæcula gentium?
Justumq;, Victoremq; in ævo
Te CAROLI LEOPOLDE ferri
Gratatur orbis: Martis in arduo
Fulges triumpho, Te tituli Ducum
Subter, coronatoq; Regum
Exuviæ sonuere planctu,
Et scuta, truncis & Rhodopeiæ
Telis pharetræ; Te Getici volant
Arcus adorare, ac ovanti
Edomitum advoluisse cornu.
Sed major æri, major euntibus
In vincla Sceptris, laurigerum super
Astræa se fundit Gradivum
Cæsaris, æthereoq; Justi
Serenat auro: nam Tibi barbarus
Seu deprecatis fluctibus accidit
Pontus, supinatísve latè
Lilia detumuere thyrsis;
Astræa vicit: Fas lituis sacras
Afflavit iras, Fas galeas super
Scutíq; inardebat severum
Fulgur, & intrepidos sarissis
Accendit ignes: Ipse frementibus
Torvùm chelydris quin didicit furor
Leges, anhelantesq; jussam
Ad Themin assiliere parmæ.
Et Te feroci Gloria carmine
JOSEPHE dicet, quem super aureas
Astræa demirata cunas
Per Patrium dedit ire passu
Gemmante Justùm: Jam procul obvias
Palmas Idume, jam dominas Geta
Triumphus insternit curules
Per domiti capita alta mundi.
O perge Victor! quò Themidis viam
Scribit volanti mucro, librataq;
Virtute Majestas Paterna,
Austriacoq; Pium sereno,
Cælumq; jussit: perge per arduos
Regum pyropos: donec in Imperî
Stent orbe debellatus Ortus
Solis, & Hesperium cubile.

CLE-



Wilh: Schubert von Ehrenberg, inv: et delin: D G. C. Eimmart sculps. Nor

CLEMENTIA.

Trux, & ad arma ferox alieno robore fultus
Imperat, at suavis Principis est sua vis.
Hæc Orphêi similis cytharæ Vis erigit urbes:
Hæc cicurat Gentes; Hæc fera corda trahit.
AUSTRIADUM capit hæc geminum Clementia mundũ,
Quàm bene blanda Aquilis jungitur ergò Fides.



Ulla fortuna adeò tenuis, quæ non Maximis Principibus par esse possit virtute, imò major: solâ Clementiâ Princeps solus est, cui nemo similis. Cùm enim Clementia sit *lenitas superioris in inferiorem in constituendis pœnis*; (a) nemo clementior esse potest magno Imperante, quia nemo superior. Nobilissima inter virtutes gemma natalium splendore non nascitur, nisi ad diademata, & coronas. Hinc illi valor, hinc pretium. Cœteræ virtutes dant Imperantibus pretium, vix accipiunt; hæc dat, & accipit; quia dum in coronis lucet, eò ampliùs splendet, quô Augustior est vertex, quem præcinxit. Non ingrata ob beneficium Principi, quia splendorem, quem recipit, ita refundit; ut eum præ cæteris terrarum orbi reddat conspicuum. Hoc fulgentem splendore Principem diceres quoddam redimitum radijs cœlestibus Numen; quoniam *nihil est tam peculiare Imperialis Majestatis, quàm Clementia, & Humanitas, per quam solam Dei servatur imitatio.* (b)

Bono Reipublicæ nati Principes tales non sunt, nisi boni. Si nubila semper cœli facies quemlibet malignum terræ vaporem cuderet in fulmina; non conservaret, sed perderet universum. Serena aëris Clementia, mitior Phœbus, malignum sæpe humorem, mitiores resolvit in auras; sic mundo præest, sic prodest. *Ut sol, quibus affulget, calorem suum impertit; ita ab Imperatore Clementia jis tribuenda, quos aspexerit.* (c) Carnificina est Respublica, in qua perpetuæ sontium cœdes, & funera. Cùm natura innatam dederit mortalibus errandi fragilitatem; qui omnes tollere voluerit severitate, naturam tollat necesse est. Pœna bonum est Reipublicæ, si rara: aliquos quandoq; corripit, ut plures servet; omnibus pessima, si semper delinquentibus severa; quia omnes delinquimus humana imbecillitate.

Facilè amittitur, quod obviè ostentatur. Qui perpetua severitate ostentat potentiam suam Princeps; caveat, ne perdat.

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Iupiter, exiguo tempore inermis erit.

Arma Principis manus sunt subditorum, quas si severitate nimia aut fregerit, aut abalienaverit; nunquid inermis erit? Qui semper, ubi potest, officit; nunquam proficit. Apis pungendo amittit aculeum, Imperans authoritatem. Paucis multa

comple-

complexus Politicus, qui pungenti apiculæ inſcripſit: *ſibi magìs.* Sanè plurimùm acceleravit Imperantium finem multa ſeveritas, etiam tragicum; cujus ſæpe Roma lugubre theatrum. *Miſericordia, & veritas cuſtodiunt Regem; & roboratur Clementiâ thronus ejus.* (d) Non mirùm: ſiquidem *remiſſiùs imperanti faciliùs paretur.* (e) Nero felix fuit imperio, quamdiù placidus Clementiâ. Quod famam ejus feræ poſteritati commendabilem divulgavit; vox fuit, quâ dum à Burrho Præfecto ſub Imperij initium urgeretur; ut ſententiæ mortis ſubſcriberet; exclamavit: *Vellem neſcire literas!* (f) Ubi hæc primùm perijt, Neronem ſecum perdidit, ferali Romæ ſpectaculo, crudelibus exemplo. *Clementia non tam honeſtiores, ſed tutiores præſtat; ornamentumq́ imperiorum eſt ſimul, & certiſſima ſalus.* (g) Maxima Politicorum eſt: *Potentiam cautis, quàm acrioribus conſilijs tutiùs haberi.* (h) Cùm in ſpurios ramuſculos protuberavit nobilis Reipublicæ arbor; ſi ferox nimiùm putaveris, fructum arida negabit, culpâ tuâ; ſuccum abſtuliſti ſanguinis profuſione. *Leniter qui ſæviunt, ſapiunt magìs;* (i) quia ſapiunt ad utilitatem. Plurima efficies Clementiâ, quæ ſeveritate vix ſperabis. Scipio rebellibus legionibus in diſcrimen poſitus, clementi conſilio & ſe, & Rempublicã exitij periculo exemit; ita rebellium militum animos clementiâ lucratus; ut puduerit defeciſſe: devinxit fortiùs, quando nefas ſuum erubeſcentibus abolitâ præteritorum memoriâ dixit: *Utinam tam facilè vos obliviſcamini, quàm ego obliviſcar.* (k) Ferrea militum pectora, ſevero juſtitiæ gladio vix pervia, lenis Clementia emollivit, penetravit, fregit. Sic Princeps *omnia ſcire debet, non omnia perſequi: parvis peccatis veniam, magnis ſeveritatem accommodare, nec pœna ſemper, ſed ſæpius pœnitentiâ contentus eſſe.* (l)

Non ſemper, cùm tonat, & fulgurat, etiam fulminat. Intentanda ab Imperantibus ſæpius juſtitia, plùs oſtentatione ad timorem, quàm ſeveritate ad ſupplicium. Stellæ alioqui benigniſſimæ ſub ferarum nominibus in cœlo fulgent; ut terreant, non ut noceant. Sic, qui velut ſidus prælucet in Republica Princeps, vindicis Aſtrææ figurâ magìs terreat, quàm feriat. Cœleſtis ira priùs cometarum linguâ reum orbem increpat, quàm puniat; ſyrmate flagellum oſtentat, priuſquàm percutiat: ſic cœli in terris Vicarij priùs emendare delicta quærant verbo, quàm verbere. Cùm nullum invenirent Athenæ ſeditionis componendæ medium ob reorum civium multitudinem; opportunum malo remedium, & quidem unicũ, invenerant Clementiam; dum Amneſtiæ legem tulerunt. (m) Sic reos ſervando, conſervarunt Rempublicam: quos ſi perdidiſſent, cum ijs perijſſent. Princeps motrix eſt intelligentia ſolis Juſtitiæ, quæ vitalem diſpenſat calorem Reipublicæ; huic, ſi nimis ſol appropinquaverit; non calefacit, ſed comburet. Cœlum eſt, qui imperat, à cujus influxu virtutum viget bonum publicum. Non ſemper rigido Aquilonis turbine ſœviat; ne exurat florem Reipublicæ. Sæpius clementi Favonio mulceat; ut floreat:

Pars eadem Cœli Zephyros emittat, & Euros. (n)

Ultimum remediorum malis Reipublicæ ſit ſeveritas juſtitiæ; quia non tam dubium, quàm periculoſum. *Nemo ad ſupplicia exigenda pervenit; niſi qui remedia conſumpſit.* (o) Bonus medicus leniori pharmaco ægritudinem tentat, priuſquàm acrioribus aggrediatur. Extremi conatus ſunt morientium. Si tamen aliud non ſupereſt malis remedium, quàm acerbitas Juſtitiæ; dulceſcat moderamine, vulnus molliter tractetur. *Remedia, quæ alioqui natura ſunt aſpera, molli manu, & levi leniantur.* (p) Cùm feriendum, non impetu, ſed lentè vibretur ictus; ut trahi, non abripi videaris. Iraſcatur delicto, non delinquenti. Doleat ipſe prior, quàm imperet dolenda, auguſto exemplo: *Auguſtum dare pœnas apparebat, quoties exigebat.* (q) Exegit

git tamen: quia etiam perpetua Clementia ſpecies crudelitatis eſt. Juſtus Princeps bonorum lucratur amorem, Clementia peſſimorum; dignus amore omnium, quia omnibus bonus, & malis. Alphonſus Neapolis Rex cauſam Clementiæ ſuæ rogatus, ſapienter repoſuit: *Bonos Iuſtitia conciliat, malos Clementia.* (r) Et quidem non ſuos modò, ſed alienos; non domeſticos tantùm, ſed exteros: ſiquidem *nihil eſt, quod magìs Principem Gentibus commendet, quàm Clementia.* (s)

Romanum ſemper in armis
Horribilem, placidum gentes ſenſere ſubactæ: (t)

Hinc magnitudo Imperij. *Romani plùs pene parcendo victis, quàm vincendo imperium auxerunt.* (u) Sunt enim *ad pariendum honorem potentiſſimæ Liberalitas, & Clementia.* (x) Magnus bello Hannibal, ut Italiam vinceret, imò penè victam retineret; id agendum cenſuit; *ut fama Clementiæ principio rerum colligeretur.* (y) Novit apprimè peritus bellator, *Novum Imperium inchoantibus utilem eſſe Clementiæ famã.* (z) Nec ſolidè, nec tutè vicit, qui corpora, non animos devinxit. Vi ſubactis nocendi occaſio, non animus deeſt: quam ſi humanarum rerum viciſſitudo vel levem obtulerit; noviſſima erunt peiora prioribus. Maximilianus II. regendi peritiâ celebris Imperator Henrico III. Galliæ Regi ad ſe Viennæ divertenti pro ſedandis Reipublicæ turbis non aliud conſilium tulit, quàm Clementiam. Inviſus eſt Princeps ſubditis, cujus purpura plus reorum ſanguine, quàm croco erubeſcit. Ipſo cœlo exulant Numina reorum pœnis ſemper intenta. Deorum conſortio extruſus, & infra terram intruſus Pluto: qui neſcit niſi plectere, quantumvìs reos. Tam magnus Princeps eſt, quantus Clementiâ eſt. *Magnam fortunam magnus animus decet, magni autem animi eſt proprium, placidum eſſe, tranquillumq;.* (aa)

Timidi notam non effugit, qui omnia ulciſcitur. Diſſimulare una de primis legum eſt Imperantibus, præſertim in injurijs, etiam ſuis. Tum maximè Reges: quia moderantur non tantùm ſubditos, ſed ſeipſos. *Clementia magìs, quàm Ira decet Reges, & Lenitas animi magis, quàm Celſitudo.* (bb) Sub Mithridatis protectione publicùm ſe Populi Romani hoſtem Tigranes profitebatur, & ſingularem Pompeij inimicum, ſpretâ per contemptum frequentiùs Magni perſonâ; in bello dubium, an à Pompeij fortuna victus, an magìs proditus ſuâ, non ſine faſtu arma, & coronam ad pedes victoris abjecit. Verùm noluit publicam, privatamq; injuriam vindicare victor: ſed repoſitâ capiti coronâ donavit regnum, atq; injuriam: bis victor, & hoſtis, & ſui. Hoc, ſi non alio magnus, & dignus, qui imperaret: dum imperantibus *quantâ perviciâ in hoſtem, tantâ beneficentiâ adverſus ſupplices utendum eſt.* (cc) Pulchrum eſt viciſſe ſeipſum; pulcherrimum in Regibus: ubi eò major eſt plauſus victoriæ, quò major victus. *Ita Clemens victor Alexander, ut acerbus bellator* (dd) duplicem meritus laurum: qui curru triumphali Patriam ingreſſus victor, bello Imperator, ſeipſum etiam clementiâ ducit in triumphum. Sapiens gloriæ æſtimator Trajanus, qui *Optimi cognomine magìs, quàm cæteri gloriari videbatur.* (ee) Nec immeritò: ſiquidem *Pietatis tituli ſunt omnibus honoribus pulchriores.* (ff)

In hoc diſcipuli omnes ſint Alphonſi Neapolitani Regis, qui à ſuis clementiæ rationem rogatus, cum ſtomacho dixit: *Quid ergò, vultis urſos, ac leones regnare? nam hominum clementia, belluarum feritas eſt.* (gg) Nulla decet oblivio Regnantes, niſi injuriæ. Ut ab ultione curetur animus, nepenthes herba medicina eſt præſentiſſima; quam uxor Ægypti regis Helenæ dono obtulit, quæ rerum omnium moleſtarum oblivionem inducebat. Qui non recordatur injuriæ, non ulciſcitur; ſic neque alijs

 ſuppli-

ſupplicio, nec ſibi iracundiâ nocens. *Tutiùs eſt chordas remitti intenſiùs, quàm protendi.* (hh) Rudolphus I. Imperator, dum quærentes audiret, cur clementior eſſet, quàm Imperij initio fuiſſet? repoſuit: *ſeverum, & immitem fuiſſe me aliquando pœnituit; lenem, & placabilem nunquam.* (ii) Audite Principes Theodoſij verba, quibus Honorium filium Magno Imperio parem parabat:

Sis pius in cunctos, nam cùm vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat Clementia nobis. (kk)

Sed non opus erat verbis Theodoſio, ſe vel tacendo propoſuiſſet, & in tacente Patre legiſſet filius grande Clementiæ documentum. Fac Claudiane, poetico penicillo, Virum depinge:

Mitis precibus, pietatis abundans,
Pœnæ parcus erat; paci nòn intulit iram;
Poſt acies odijs idem, qui terminus armis.
Profuit hoc vincente capi, multoſq; ſubactos
Aſpera laturæ commendavêre catenæ.

O iconem præcelſam Magni Prrncipis! O ideam Imperantium! Bellè, & bene; ſed nondum optimè. Vivaciùs exprimunt Theodoſium Codices; nam animam adijciunt, dum loquentem inducunt: *Si quis modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus improbo, petulantiq; maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulantiâ turbulentus obtrectator temporum noſtrorum fuerit: eum pœnæ nolumus ſubjugari, neque durum aliquid, vel aſperum volumus ſuſtinere, quod jam, ſi id ex levitate proceſſerit, contemnendum ſit; ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum; ſi ab injuria, remittendum.* (ll)

Habeat ſibi ſuam in Theodoſio Patre ideam Clementiæ Honorius: honoratus recenti Romanorum coronâ Auguſte Neo-Rex JOSEPHE, accipe in Patre Tuo Auguſtiſſimo TUAM, imò majorem. Non illam hinc depinxiſſe juvat, ne duxiſſe penicillum credatur adulatio. A Clementiſſimo Patre non degener Filius, quia ſapienti conſilio, non TIMORE ſolùm Juſtitiæ, ſed AMORE pariter Clementiæ terrarum orbi præeſſe ſtatuiſti; Vel hoc uno cum centenis alijs dignus Imperio, quoniam *Clementia Imperatorum prima dos.* (mm)

Flentibus aram,
Et proprium miſeris Numen ſtatuiſtis Athenæ. (nn)

Miſericordiæ videlicet, cujus templum ita clauſum erat; ut ſine Senatûs conſenſu nemini ingredi fas eſſet: quippe ibi tantùm Principum benigniorum ſtatuæ collocabantur. Auguſtiſſimam Domum Tuam, Auguſte NEO-REX, Clementiæ aram cœlum voluit, dum poſuit: in qua tot Clementium Statuæ Principum venerationi mortalium exponerentur; quot ex ea imperarent. Pace Regnantium dictum ſit; quia verum: Quantùm Auſtria ſupra cœteros fulget imperiali faſtigio, tantùm ſuperat Clemētiâ. Jure optimo: ſi enim *nullum Clementiâ ex omnibus magìs, quam Reges, aut Principes decet*: (oo) par eſt Regum maximos, & Auguſtiſſimos eſſe, & Clementiſſimos.

(*a*) Sen. l. 2. de Clem. c. 3. (*b*) Juſtin. l. vel Cod. de dom. (*c*) Zonar. Tom. 3. (*d*) Prov 20. (*e*) Sen. de Clem: l. 1. c. 24. (*f*) Senec. de Clem. l. 2. c. 1. (*g*) Sen. 1. de Clem. (*h*) Tacit. ii. ann. (*i*) Plaut. Bachid. (*k*) Liv. l. 38. (*l*) Tacit. in Agricol. (*m*) Plutarch. Polit. (*n*) Ovid. in Ibin. (*o*) Sen de Clem. l. 1. c. 14. (*p*) Fab. 2. c. 4. (*q*) Sen. 1. de Clem. c. 10. (*r*) Lipſ. Monit. Polit. l. 2. c. 12. (*s*) M. Anton. Phil. (*t*) Claud. bell. Gild. 98. (*u*) Liv. l. 30. (*x*) Valer max. l. 5. c. 3. (*y*) Liv. l. 21. (*z*) Tacit. 4. hiſt. (*aa*) Senec. l. 1. c. 3 de Clem. (*bb*) Joſeph: 9. arch. 7. (*cc*) Tacit. 12. ann. (*dd*) Plut. in vit. (*ee*) Dio: l. 68. (*ff*) Plin. 3. ep. 8. (*gg*) Lip. mo. Polit. l. 2. c. 12. (*hh*) Sar. 48. (*ii*) Sylu. l. 7. de ejus geſtis. (*kk*) Claud. (*ll*) Theod. lege unica c. ſi quis Imp. maled. (*mm*) Vopiſcus in Aureliano. (*nn*) Claud. bell. Gild. 465. (*oo*) Sen. l. 1. c. 3.

RU-

RUDOLPHUS I. ALBERTO FILIO,
DUM EUM AUSTRIÆ PRÆFECIT,
CLEMENTIAM COMMENDAT.

I, quo Vota Patris Gnatum, Septémque Virorum
Legant: habenas dirige
AUSTRIACÆ Gentis. Populos es nactus amicos:
Amorem amori consecrant.
Sic rege: Non metuant Te, sed fac Dux, ut ameris.
Vultus sereni Principem,
Innubésque animi commendant. Fronte severus
Exosus omnibus. Timor
Nusquàm corda sibi strinxit. Fortissima amoris
Sunt vincla; nexu subditos
Conjungunt Domino. Sæpe obsunt frœna Timoris,
Laxantq;, quando comprimunt.
Namq; Timor dominari animis haud calluit unquam.
Humana mens fruitur sua
Libertate. Ultrò vinclum patietur amoris
Benignius. Princeps miser
Quem metuunt unum multi: quos ipse timebit,
Plures. In odia proruet,
Vindictamq; querens vulgus sua funera. Cives
Crudelitate Regia
Adversis telis glomerantur. Atrocia Regna
Non sustinent. Atrocior
Pausaniæ vultus cives cumulavit Achäis,
Hos milites. Clementiæ
Sæpe illud suavis peragit tranquilla potestas,
Violenta quod facere nequit.
Principis imperiosa quies vehementiùs urget
Mandata. Devium gregem
Panos suave melos mulcet: sylvestris arundo
Et evagantes convocat.
Alliciet facilis porrecta fronde, sequacem
Et umbra sola virgulæ
Quadrupedem reddet medijs in cursibus: illum
Ærata calx non urgeat;
Vulneris impatiens disrumpet frœna, furetq;
Campo potitus obvio.
Ingemit omne nemus, completq; ululatibus auras,
Boreæ impetus si sæviat.
Hispidior ventus nudabit lintea malo,
Arborq; planget naufraga.
Mitior aura veni, leviori flamine spira;
Tranquilla maria rideant.
Fœcundo Zephyro plenæ vibrantur aristæ,
Et vela fausta mercibus

Æquo-

Æquore ſulcato littus famulare ſalutant.
Cumulata fuſcant funera
Chironem. Cumulare genus miſerabile pœnæ
Eſt turpe multùm Principi.
Sola hæc digna manus ſceptris, quæ ſanguinis expers.
Calcare quid cadavera
Profuerat? Non Rex, ſed (nomen turpe) Tyrannus.
Audit, ferire crimina
Si repetat. Meritis ſit ſemper parcior ira.
Quæ vindicantur ſæpius,
Sæpe ea committi cernes. Sæpe herba medetur,
ſuccuſq; lenior malo,
Non potuit ſævum quod ferrum. Languida membra
Non exſeca; ſed adjuva.
Morbo peccantûm vix urens herba medetur,
Sed molle ſanat balſamum
Subjectos. Oleum populus non ſpernit, aceti
Exulceratur morſibus.
Trux vultus mores, quos emendare piandos
Neſcit; benigna frons poteſt.
Non ſubitò plectat Nemeſis: qui parcere novit,
Clemens gubernat tutior.
Divinæ eſt mentis lapſis ignoſcere. Pœnæ
Satis videre ſupplicem.
Fulmina rara jacit Numen: nec tergora pœnis
Peccantûm aguntur illicò.
Alitis arma Jovi ferienti læva miniſtrat,
Ut fulminare rariùs
Erudiat Regem: doleat, ſi cogitur eſſe
Ferox. Negaret dextera
O utinam officium! ſi ſaucia pœna notanda.
Et ſuſcitare mortuos
Eſſet, ſi poſſet, Regis, non perdere vivos.
Errare nequeunt Præſides,
Dum clementer agunt. Errant ſi Regula Regum
Dimittitur Clementia.
Una dies poterat prægrandem perdere Olynthum,
Quam nullus annus eriget.
Auguſto creſcebat honor, nomenq; perenne,
Quouſq; vixit redditus
Cinna ſibi. Princeps Clemens ſua Nomina cælat
Æternitati florida.
Gentis amor, populiq; ſalus, quàm dulcia Regum
Sunt ſola digna Nomina!
Pœnituit nunquam Clementem ALBERTE RUDOLPHUM,
Severiorem pœnitet.

MU-



Wilhelm Schüpert von Ehrenberg del. 5. E. I. I. von Sandrart fecit Norimb.

MUNIFICENTIA.

Teſtor ego, quotquot ſors improba fecit egentes:
Undiquè quàm largas AUSTRIA fundat opes.
Non tamen hæc pelagus, Fons eſt, qui dividit undas
Omnibus, & patulo ſublevat amne ſitim.
Hic mare ſit Princeps, cujus rapit omnia Livor,
Ambitio metas tranſilit, Ira modum.



Ui liberalem in Rege vultum exegit; humanitate timori ſubditorum, qui liberalem manum, munificentiâ conſultum voluit egeſtati. Unde ſibi Auguſtus ex accepto Romani Imperij faſtigio gratulabatur; quòd eum nempe ſtatum conſecutus eſſet, in quo omnibus benefacere poſſet. (a) Ut enim Rex Deo Ter Maximo inter mortales majeſtate quàm proximè accedit; ſic æquiſſimum eſt; ut eundem Ter Optimum benefaciendi ſtudio præ cæteris imitetur. Nam ſervare non eſt commune omnibus, ſed proprium excellentis fortunæ; quæ nunquam magis ſuſpici debet; quàm cum illi contigit idem poſſe, quod Dijs, quorum beneficio in lucem edimur. (b) Id ſolum autem videtur inter utrumq; diſcrimen: ut Deus ex ſuo, Rex conferat ex acceptis; quaſi hunc in finem acciperet, ut habeat, unde largiatur. Quod ipſum Certanus Abbas per fontem expreſſit: qui aquas, & copioſè recipit, & liberaliter refundit. Quemadmodum ergo aqua, quæ influit, nec effluit, ſtagnando putreſcit; ſic ſordida eſt Principum inprimis avaritia: ut patuit in Dionyſio ſiculorum non Rege, ſed Tyranno. Divites econtra viri imitantur puteos; qui continuò exhauſti minimè deficiunt, ſed duplo copioſiores evadunt. (c) Etenim in lucrum cedunt, quæ bene meritis conceduntur: (d) & de ipſo munere magis acquiritur, cum optimis digna præſtantur.

Quare cùm tribuendum ſit, multum intereſt, cui tribuatur: quæ enim bene meritis præmia largitur ſupra debitum, beneficentia eſt; ſed quæ ad indignos dona tranſeunt, jactura ſunt. Præterquam enim quod beneficium ſic collatum, nullum ſit; inſuper quòd ſine diſcrimine conferatur uni, animantur plures: ut in ipſa officiorum deſidia ſperent, quod mereri oportet; & auſint vel inter ignaviam. Propoſiti noſtri eſt, inquit diſertiſſimus apud Romanos Conſul, *honeſtos labores palmâ remunerationis ornare; ut viciſſitudine, quâ profecti gaudent, deſides mordeantur, ſibiquè imputare poſſint, quòd clementiſſimis temporibus judicij noſtri præmia non mereantur.* (e) Injurius eſt virtuti; qui illud cum vitio componit, & laboris præmium otio facit com-mune. Non eſt munificus, qui ſic munificus: nam *benefacta malè locata, malefacta arbitror inquit Romanus Orator.* (f)

Prodeſt tamen nonnunquam donare immerentibus, ſed merituris: beneficium enim gratis dandum eſt, ſed non fruſtra. Carolus V. cùm ex itinere ad Franciſcum Galliarum Regem divertiſſet: advertit ſe ibi degere, ubi cum libertate ſua tum data

fides,

fides, tum hoſpitalitatis jura in ſummum diſcrimen adducebantnr. Quare ad demerendam Eſtampiam Regi peramicam, animum applicuit Imperator; & inter comitatis alloquia annulum à raro adamante pretioſum ex induſtria dimittit â digito; inclinata actutum illa annulum levat, & officioſo honoratum oſculo refert Cæſari: at ſubridens Carolus: Tibi, inquit, eſto deinceps hic annulus; non enim ſolent Cæſares, quod dilapſum à manibus eſt, repetere. Liberalitatem venerata fæmina vulgatis Caroli laudibus tantum effecit; ut ejus intercipiendi, detinendiq; conſilium evanuerit. (g) Antiocho Aſiæ Regi obſeſſa Jeroſolyma pertinaciter reſtiterat; petiêre tamen ab eo, cui nihil concedere volebant obſtinati cives ſeptem dierum inducias ad celebrandum paſchatis feſtum: flagitantibus indulſit benigniſſimus Princeps: & ut majorem oſtenderet in dante Liberalitatem, quàm in petentibus eſſet fiducia: addidit tauros auratis cornibus inſignes, thymiamatum, aromatumq; vim magnam in ſacrificiũ ad portas urbis cum pompa ſolenni deduci juſſit. Judæi protinus à feſtivitate peractâ in Fidem Regis conceſsêre, & cui reſtiterant armato, jam ultro ſe ſubjecerant munifico. (h) *Nunquam parcendum eſt muneribus, nunquam nummis, cum nummis res confici juſtè poſſunt: quorum parſimonia plerumq; publicæ rei obfuit. Quod ſæpe jus ſine tumultu & ſanguine vix obtinuit, cum pace victoris Liberalitas ſibi vidit accedere.* (i)

Proprium eſt Regum munus de omnibus bene mereri, ut omnes ſibi reddant obligatos. Is verè Princeps eſt, qui nulli debet, cui debent omnes, qui ipſum, quod debet ſtipendiaria Nobilitas obſequium, remuneratione compenſat. Regi, non domino ſervit: qui dum quod ſoluitur, ſervitium exhibet, ipſâ exhibitione meretur. *Emolumenta deeſſe laborantibus non oportet*; *ut & bonæ ſpei aditus aperiatur*; *& deſudantium querelæ juſtâ compenſatione claudantur.* (k) Solerti animo nihil durius còntingit, quàm hærere, cum ad altiores dignitates pergunt ignavi; nec difficiliùs eſt nobili meminiſſe, quàm ſui oblitum eſſe Principem. *Durum eſt*; *ſi quis, ut promoveatur, meritis addere cogatur preces. Qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus.* (l) Oportet tamen ſubinde, ut Regum gravata publicis curis memoria ad privatos ſe demittat: meritorum ſuorum modeſtam mentionem ingerere, non autem importunam. Affirmavit mihi Rex, inquit Cominæus: fieri aliquando, ut egregiæ operæ minùs liberaliter remunerentur non tàm ingratitudine Principum, quàm eorum, qui operam præſtiterunt, vitio: dum quadam elati confidentiâ ob rem bene adminiſtratam multa inſolenter petunt. (m) Dignitas ex dignitate collata quæritur, & poſt penſionem recompenſa; ac dum merita prætendunt, exigunt velut à Juſtitia mercedem, quod eſt munus Liberalitatis. Negandum eſt beneficium, quod exigitur: ut diſtinguatur gratuitum à debito. Demaratus dum, quòd Xerxi ſapientiſſimum dediſſet conſilium, impudenter plauſum poſtulat, riſum excitavit; de quo Seneca ajebat: *dignus fuerat præmio, niſi petiiſſet.* (n) *Adeò qui meliora laborum præmia, aut honorum augmenta extorquere volunt, ſæpe ſpe ſuâ exciderunt.* (a) Donare volunt Reges, non debere, qui donant, ne debeant. *Quid eſt*, inquiebat Alexander Severus cuidam è fidelioribus miniſtris: *quòd nihil à me petas*: *an me tibi fieri vis debitorem*? (p) Pulchrum certamen inter Liberalitatem Principis ad remunerationem propenſi, & modeſtiam miniſtri ſolo ſtipendio contenti.

Imitabitur autem Rex Aſſuerum; qui ſuorum in ſe merita referebat in librum: quo & recentior, & certior eſſet obſequiorum memoria, quæ munificâ, regiâq; manu compenſaret. (q) Imitari quiſquis Aſſuerum voluerit: Mardochæos inveniet, qui tam munifico largitori adhæreant. Ingentes dona ſunt compedes, in quas ut libenter ſe immittunt accipientium manus: ſic ſuaviter irretitur animus. Semper poſſidebit Rex, quem ſibi ſic comparavit: pudet nimirum ingratum eſſe, & munerum memo-

ria

ria gravis justissimæ gratitudinis est testis. Etiam in posteris vivet obligatio, si duret Liberalitas. Perpetuus unius beneficij fructus perpetuum est beneficium: quem ut consequuntur hæredes; sic primam hæreditant obligationem. Qui nobilitate Majoribus collatâ gaudent, qui feuda, qui officia hæreditario jure Familijs concessa possident: se Regi suo obstrictos nôrunt: quia dum fruuntur, accipiunt. Hinc libenter vitam regijs Nobilitas impendit obsequijs: quam scit in successorum sanguine compensandam. Sic est; beneficijs venalis est vita, etiam quibus vix frui licet in vita. Quod apud Belliduces præsertim verum est. Unde Agesilaus, *sibi multò jucundiùs esse dicebat, si milites suos ditaret, quàm si ditesceret ipse.* (r) Et quod ab illo audierat antiquitas, hoc vidit ætas nostra in Augustissimo Imperatore LEOPOLDO, cum gemina ad Viennam, & Dardam spolia, superbas Orientis opes, ac tot expugnatarum urbium thesauros sic exercitui reliquerat: (donat autem, qui, quod retinere posset, dimittit) ut ipse victoriâ contentus suis victoriæ fructum Munificentiâ planè Regiâ largiretur. Nempe animantium princeps leo post confectum ferocientem taurum, ipsâ confectione satur, hostiles exuvias cadaver animantibus indulget in epulum liberale. (s)

Cæterùm *cum hoc uno* (ut vetus proverbium habet) *beata sint regna, benefacere quòd semper possint*; (t) nunquam apud Reges arctabitur donorum mensura, quibus nunquam arctatur donandi materia. Si enim regaliùs est, ut voluit Artaxerxes Longimanus, addere, quàm adimere: regaliùs erit etiam conferre largiter, quàm parcè. Princeps obsequium non ex pari, ut inter pares, sed duplâ remuneratione reponit. Ut longæ sunt Regibus manus, quæ scelus etiam remotum castigant: sic Augusta manus non est, cum aperitur merentibus, angusta. Regi Alphonso à pertusa manu cognomentum erat. (u) ab insigni liberalitate ingens gloria, & amor subditorum. Ab Antigono Cynicus talentum petijt. Respondit; *plus esse, quàm Cynicum deceret petere*; repulsus petijt denarium. Respondit, *minùs esse, quàm Regem deceret dare.* (x) Rustica planè avaritia invênit in utroq;, quomodo neutrum daret; in talento Cynicum, in Denario Regem respiciens; cum potuerit & denarium Cynico dare, & talentum tanquam Rex. Econtra Alexander jusserat à quæstore Anaxarcho dari, quantum ille postulâsset; consternatus quæstor refert centum peti talenta; cui Alexander: *Rectè facit, sciens se beneficum in me Regem habere, qui tantum dare, & possit, & velit.* (y) Regia certè Munificentia, quam & donantis magnanimitas, & petentis fiducia commendant. Alphonsus, cum ei decem aureorum millia deferrentur, dixissetq; qui aderat, Aulicus eam sibi summam sufficere, ut beatus foret. Accipe, inquiebat, eam quantacunq; est, & deinceps per me beatus esto.

Nolim tamen familiarem esse hanc largitionum pompam: ne, quod Munificentia est, cùm rarò fit, Munificentia esse desinat, cùm fit sæpe. Non est facilis, qui sic dedit, sed levis: nec opes donat, sed projicit. Promus est, non condus; quod in eum ab Ausonio torquetur, *qui sic est liberalis, ut liberalis esse non possit*, accidit; *ut benignitate tollatur benignitas, quâ quò in plures usus sit, eò minùs in multos uti possit.* (z) *Turpe est Principi benefacere non posse.* (aa) Cùm enim Dei in terris personam sustineat, sic erogabit liberaliter, ut dare semper possit; non quod semper imbres, semperq; decidant pluviæ; satis est, si solo rore fœcundentur interdum prata. Unde *non ita claudenda est res familiaris; ut eam benignitas aperire non possit; sed nec ita reseranda, ùt pateat omnibus: cùm enim dando egere cæperint, alienis bonis manum afferre coguntur; nec tanta studia assequuntur eorum, quibus dederunt; quanta illorum odia, quibus ademerunt.* (bb) Quod expertus est,

 Ludo-

Ludovicus XI. Galliarum Rex: qui spoliabat tenues viros, ut eos, qui alioquin abundabant, locupletaret, (cc) Magis egisset regiè: si, quod Aristotelis ad Alexandrum erat monitum, suum fecisset: *Avaritiæ fuga, & Liberalitatis gratia*, inquiebat, *est Regum gloria, & Regnorum fundamentum*; quod potissimùm assequitur, si à rebus subditorum abstineat.

Major quippe est Liberalitas, quam omnes sentiunt, quàm quæ paucos obruit: nec minor illa Regum est beneficentia: quæ à subditis accipit moderatè, quàm quæ palatinis donat copiosè. Benignus Rex civibus largitur opes, quas relinquit: tantùm donat, quantùm non exigit. Utilis hæc est Munificentia: quæ tum dives est, cum exactiones remittit; cum alioquin liberalis, quantum confert, tantum amittat. Sapienter Jacobus Angliæ Rex ad filium Henricum: *Noli te locupletare nova, & gravia tributa populo imponendo; sed eorum opes, & facultates certissimas tuas divitias, existimato.* (dd) Constantinus plus habuit tondendo oves, quàm alij deglubendo. (ee) Tam habebat optimus Princeps, quod illi erat in ærario reconditum; quàm quod deerat apud subditos relictum. Dives Rex est, qui subditis imperat opulentis: nôrunt illi inaurare labores, multiplicare argentum, opes augere feliciori quæsturâ, quàm regij quæstores. Unde Henricus III. Castellæ Rex *præstantius sibi* (ajebat) *esse ærarium per Rempublicam diffusum, quàm quod parietinis quatuor clausum possidebat; nec se Regem divitis populi unquam futurum pauperem.* (ff) Non potest in liberalem Principem subditus non esse liberalis. Non postrema est ea Liberalitatis in Rege species, quam Pietas, & Misericordia comitantur. Valentiniani, & Marciani Cæsarum hæc vox erat: *Humanitatis nostræ est egenis prospicere, ac dare operam: ut pauperibus alimenta non desint.* (gg) Philippi II. Hispaniarum Regis imperium erat, ut, qui in Indijs Orientalibus ob quinquennalem famem è gentibus in servitutem erant venditi, si ad Christiana sacra transirent, emanciparentur. (hh) *Nihil habet fortuna majus, quàm ut possit; nec natura melius, quàm ut velit servare.* (ii) *Nullam* (inquit Paratus) *majorem crediderim esse Principibus felicitatem, quàm fecisse felicem: ut Imperatori propriam majestatem, ac famam æstimanti non tam illud suum videri debeat, quod abstulit, quàm quod dedit.* (kk) *Redimere à servitute captivos, locupletare tenuiores est hominum gravium, atq; magnorum. Hanc ego benignitatis consuetudinem largitioni munerum longè antepono*; (ll) Nam egentibus est securiùs, quàm divitibus subvenire: effundit potiùs, qui mittit in plenum; cum illud potiùs reconditur, quod vasis vacuis congregatur. Sapienter Albertus Belgarum princeps ærarium, quod pijs largitionibus exhauriri querebantur aulici, impleri probaverat; cùm ostendit se non magnæ possessorem Provinciæ Gallica, Anglica, Germanica, Batavica uno tempore sustinuisse arma; suffecisse tot sumptibus, tot urbes occupasse. (mm) Non potest meliori manu dives regnorum victoria comprehendi, quàm quæ miseris aperitur.

(*a*) Dio l. 54. (*b*) Sen. l. 1. clem. c. 5. (*c*) Basil. hom. 3. in divit. (*d*) Cassiod. 4. var. 3. (*e*) Idem 9. var. 8. (*f*) Cic. l. 1 de off. (*g*) Nieremb. virt. coron. pag. 163. (*h*) Plut. in reg. apopht. (*i*) Forstn. in not. ad l. 16. Tac. (*k*) Cassiod. 4. var. 3. (*l*) Sen. l. 2. benef. cap. 1. (*m*) L. 3. pag. 154. (*n*) L. 6. benef. c. 11. (*o*) Forstn. in l. 14. Tac. (*p*) Lamprid. (*q*) Esth. c. 2. & 6. (*r*) Alciat in embl. (*s*) apud Scrib. in Polit. Christ. (*t*) Nierem. virt. cor. p. 1. §. 14. (*u*) Sen. de benef. (*x*) Plut. in. apopht. (*y*) Car. Scrib. in pol. Chr. (*z*) Cic. l. 2. off. (*aa*) Scrib. Polit. l. 2. c. 5. (*bb*) Cic. l. 2. off. (*cc*) Comin. l. 10. pag. 360. (*dd*) in instit. ad fil. l. 2. (*ee*) Caus. in aul. san. (*ff*) Nier. virt. cor. c. 3. §. 19. (*gg*) L. priv. 12. c. de sacros. Eccl. (*hh*) Vit. coron. Nier. (*ii*) Cic. pro Ligar. (*kk*) In paneg. Theod. (*ll*) Cic. de off. (*mm*) Car. Scrib. polit. Chr. l. 2. c. 5.

MU-

MUNIFICENTIÆ AUSTRIACÆ FRUCTUS ADMIRANDA IMPERANDI FELICITAS.

AUSTRIA, cura *Deûm*, largæ genuina Parentis
Filia, munificas inter habenda Deas.
AUSTRIA, gemma soli, pereuntis & anchora mundi,
Spes populi, vindex Numinis, orbis amor.
Tu Pandora Deorum, opus & mirabile cæli,
Diva potens cunctis nobilitata Dijs.
An fortè insolitos pudibunda vereris honores?
Et quòd non meritas prodigat Axis opes?
Regna renata stupes, illis Regesq; renatos;
Et tua quòd solùm tempora laurus amet?
Cælica ne dubiam tibi reddant munera mentem;
Sunt ea, sunt meritis munera digna Tuis.
Multa capit, qui multa dedit: Non vincitur ullo
Largiter effuso largior ære DEUS.
Te Tua dextra beat, Tua Te dispendia ditant;
Estq; seges sparsi seminis ista Tui.
Augusti Effusis Implorant Omnia Votis,
Augusti Exemplis Imperium Omne Viget.
Aræ tot Divûm, veri tot Numinis ædes,
Sacraq; sacrorum plurima claustra virûm;
Augustæ dotes, regalia symbola templis,
Clamant munificas Cæsaris esse manus.
Pro Te Virginei pulsantes astra colossi,
Pro Te promotus Virginis orat honos.
Pauperies fœcunda Tuo Tibi munere palmas
Has parit, & pro Te bella secunda gerit.
Immortale Tibi nomen per tela, per enses,
Quæ ditat Martem dextera larga facit.
Sic magè sis locuples, bene si sic prodigis aurum;
Et dare cuiq; suum, si Tua lucra putes.
Nam *quicunq; DEI plùs debita, quàm sua curat;*
Debitor illius cogitur esse DEUS.
Hoc pretio Superi vendunt diademata Magnis;
Hâc surgunt summi Regibus arte throni.
Hostes Mars ferro vincit, vincitur ab auro:
Marte potens dux est; Mars ducis ære potens.
Dona creant fortes, nec murus aheneus obstat
Donis; hæc duros plùs adamante trahunt.
Ambit & insolitos generosa Minerva labores,
Ambiat auratum si sua colla decus.
Sic age; prodiga sis, nunquam, mihi crede, nocebit,
Auro lucrosas sic vacuâsse manus.
Unus *pro multo ditescat paupere Princeps,*
Se multus gaza ut principe pauper alat.

Quid

Quid juvat, Hesperijs si sors fluat aurea rivis
Regibus, & lacrymis plebs natet uda suis?
Si grex tristis eget, citò Rex quoq; tristis egebit:
Regna Ducem, non Dux ditia Regna facit.
Quod populo tribuis, populus tibi reddet adauctum:
Quódque penus condit publica, semper habes.
Adde, quòd in solio sit, sol velut æthere, Princeps;
Utq; Jovis, regnat, suppleat orbe vices.
Ut juvet, astra Jovi dant prima gubernia mundi;
Jupiter & terris, ut juvet, ergo præest.
Nî sua dispenset subjecto lumina mundo
Sol, erit æthereis sidus inane plagis.
Mutuat à Phœbo tellus mendica vigorem,
A Phœbo vitam germina cuncta trahunt.
Frigida fraterno Dyctinna calescit ab igne;
Accenduntq; suas astra minora faces.
Cumq; rosis pariter, fabrorum prandia, betas
Irrorat largis Jupiter udus aquis.
Tu quoquè si parili moderamine regna gubernes,
Jure orbis Rectrix AUSTRIA semper eris.
Larga manus remex, virtus si prodiga puppis;
Ter felix, Jason quò tuus ibit, erit.
Hac rate Bosphoricum tanges tutissima portum;
Optatosq; trahes in tua vela Notos.
AUSTRIA pande Tuæ felicia carbasa cymbæ!
Quò sors, quò virtus te jubet ire, vola!
Regna Tibi Pietas, Regnorum fulcra parabunt
Et Deus, & largæ, vincula grata, manus.
Bosphorus en calcanda Tibi jam tergora Nereûs
Subijcit, & famulas Pontica Tethys aquas.
Et cûi Trajanum poteras imponere frœnum,
Te vehet Euxinas Ister adusq; plagas.
Castriotum sibi Troja novum, sibi Grajus Achillem,
Et vocat Æmonium terra Pelasga Ducem.
Sunt superata pericla solo, superanda saloq;,
Ultima Pellæus vult monumenta labor.
Nec Thrax Scylla latrat, nec hiat Rhenana Charybdis,
Æolus inq; ratim, qui fremat, omnis abest.
Cymba veni, *sortemq; vehas cum Cæsare* Graijs;
Byzantina vocant mœnia, cymba veni!
Hellespontiaco & postquàm requiescere portu
Fas fuerit, monitis hoc superadde meis.
Vidi ego, qui nuper Floræ pius exijt amnis,
Regio adoratis flore redivit aquis.
Alter alit parcas, nec erat, qui redderet, undas,
Dúmque suus mansit, desijt esse suus.
AUSTRIA subjecto faustè dominaberis orbi;
Si faveas populis ipsa benigna tuis.

FOR-


MONSTRIS

FORTITUDO.

Aſpice Cæſareo ſtratum mucrone gigantem:
AUSTRIADUM tantum dextera robur habet.
Dextera robur habet debellatura ſuperbos,
Et quidquid Pietas, vel Bona Cauſa timet.
Pone minas, Scythicum modò quæ caput erigis, Hydra:
Brachium adhuc, & adhuc Herculis enſis adeſt.



Orti danda eſt apta virtuti materia, ut, quid poſſit, prodat. Leo, qui in crates ferreas robur exerit, catenam ligneam contemnit; quaſi mallet captivam in vinculis vitam, quàm imbelle certamen. Nec aquilæ charius eſt prælium, quàm quod periculoſius: dignum congenitâ fortitudine hoſtem, cum quo confligat, non eligit niſi colubrum. Ut, quid poſſit Rudolphi I. Rom. Imp. virtus, orbis nôſſet: giganteum eſſe oportuit monſtrum, quod à Cæſare proſterneretur. Erat in Ottocari Boëmorum Regis acie Herbutus, natione Polonus, ſtaturâ præeminens, lacertis validus, & promptus audaciâ: hunc pactâ mercede animaverat Rex ad necem Cæſari intentandam. Jamq; incaluerat Imperatorijs vocibus Germanorum exercitus, & prælium utrinquè fervebat; cùm adeſt magnitudinis portentum Herbutus, pugnantem (a) Rudolphum aggreditur, prægrandi acinace plagam intentat lethalē. At Cæſar major animo, quàm alter mole corporis, hoſtiles eluſit ictus; gladium adegit in viſcera, poſtratumq; humi gigantem victrici manu confecit. Nec ſatis, qui adverſùs magnitudinem hoſtis victor erat, à multitudine vinci poſſe credebatur: convolat igitur Boëmorum manipulus, equum confodiunt; ut vel peditem equites opprimerent. Stetit tamen ut in pedes, ſic animo Rudolphus, & irruentem undiquè mortem tam diu invictus ſuſtinuit, donec adeſſet Germanicus miles. Sic offenſivo, ac defenſivo certamine victor Cæſar prælium integrat: imò victorias continuat, totoq; hoſtium quà cæſo, quà fugato exercitu Ottocarum omnibus exuit, præterquàm campo, quem retinuit occiſus.

Fortes creantur fortibus, nec imbellem feroces aquilæ progenerant columbam. Albertus I. ut parentis in Imperio ſucceſſor, ſic paternæ fortitudinis hæres Adolphum Imperatoriâ dignitate exutum impactâ fronti haſtâ proſternit, proſtratúmque obtruncat. Adeò dignum non potuit habere hoſtem Cæſar, niſi Cæſarem, quem proſterneret. Maximilianus I. in altero adverſùs Gallos ſuſcepto prælio cum adverteret (b) peditatum inclinare; ab equitatu, quem ducebat, avolat, ſe in pedes conijcit: ductor trepidantium magnanimus aciem erigit, pugnat, vincit inviċtiſſimus non tam Imperij, quàm belli Imperator. In altero, cùm equitatus jam fugam reſpiceret, trepidantes ſiſtit, in fronte dimicat, Alexandrum Peritonium adverſæ partis ductorem haſtâ conficit, promotiſq; ſuorum animis operoſam refert victoriam. *Rectè Chabrias exercitum cervorum leone duce, quàm leonum duce cervo formidabiliorem* (c) dixit. Tota Caroli V. vita quid erat, niſi militia ſuper terram? imò militaris Fortitudo. Adhuc puer irrepebat juxta leonum carceres, obvio, qui occurrerat, ſtimulo

F belluas

belluas lacessens; ut auditis irarum rugitibus martiales spiritus recrearet. Ab octenni eam, quam optârat, pictor compositionem obtinere non potuit; donec lancea conclavi illata parieti applicaretur: è vestigio in eam partem defixus Juvenis vultus dum optatum chalybem sollicitè concupiscit; simul pictori & formam oris, & animi inclinationem exhibuit. (d) Ita primæ ætatis spiritibus secuturæ fortitudini prælusit, quâ postmodùm vir in 70. prælijs victor extitit, & centum castrorum millia, civitatum innumerabilem vim, navium immensam copiam expugnavit.

Nempe summorum Principum domestica semper est Fortitudo, ut eam unà cum Regnis nascendi beneficio accepisse videant hæreditariam. Neque enim congruit, ut terrarum Dominus tueri nesciat, quos gubernat. Hinc sapienter Albertus II. Imperator, cùm, exercitu in Boëmos conscripto, rogaretur à Proceribus, quem copijs ducem præficeret? respondit: *si alium imperare militi oportet, cur me Archiducem Austriæ censeatis, non video.* Quia tamen dubij sunt bellorum eventus, & fortissimum etiam, quem sæpe casus transijt, aliquando apprehendit, non est à regnorum salute; ut præsentem Principis Fortitudinem legiones habeant. David, qui adhuc juvenis, & vix militiæ tyro carneam turrim Goliath prostraverat, postmodùm veteranus militiæ heros fuerat sub ictu Philistæi Jesbibenob. Unde juraverunt viri David dicentes: *jam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israël.* (f) Et verò constat Ferdinandum II. gloriosissimæ memoriæ Cæsarem (ut hodierna tempora silendo prætereeam) castris licet absentem, animi infracti consilio, & auxilio tanta in exercitibus suis præstitisse; quanta aliorum Regum præsentia sustinere non potuit. *Qui verà virtute fortis est, nec impudenter audet; ut in se uno omnes periculo exponat: nec ignavè metuit, dum non sibi, sed suis cavet.* (g)

Cæterùm distinguenda est Fortitudo à Fortitudinis opinione. *Fortitudo est, quæ bello tuetur à barbaris patriam, & domi defendit infirmos: sed quæ ultro arma infert hostilia, seu ambitione dominandi, seu regnandi avaritiâ, crudelitas est.* (h) Quàm verè Ludovicus Vicus: *sunt nonnulli homines docti* (inquit) *qui Principibus probati, cùm de bello consuluntur, ita de justis, ac injustis armis disserunt; ut facilè ex eorum oratione ansam Principes in suos affectus præcipites arripiant existimandi, quodlibet bellum, modò placeat, justum esse.* (i) Nempe prætextus nunquam desunt, dum non desit facultas. Quin, ut idem gravissimè asserit: *hoc demum videtur verè ac germanè militare: arbitrari nihil æqui, ac boni propter se sancitum; nulli se juri esse subditum, se leges omnes in vagina gestare.* (k) Aliter Agesilaus, vel ob hoc inter ethnicos christianus, quæsitus, utra potior esset, Fortitudo, an Justitia? graviter respondit: *Fortitudinis nullum usum esse, nisi adsit justitia.* (l) Malè de Fortitudine sentit, qui heroem, & prædonem non distinguit. Non ineptè Pompeio navali prælio ad Ciliciam victori Pyratarum ductor reposuit: *quod in me privato latrocinium vocas, hoc tibi, qui Princeps es, bellum videtur, cum majus sit latrocinium tot provincias armorum violentiâ diripere, quàm naves aliquot expilare, aut molestare littora.* (m)

In rep. maximè conservanda sunt belli jura: nam cùm duo sint genera decertandi: unum per disceptationem, alterum per vim; cumq; illud proprium sit hominis, hoc belluarum; confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore. Quare generosæ indolis exempla in bello necessario laudantur, non in libero: accipienda enim est, non quærenda bellicæ fortitudinis occasio. Carolus V. ut fortissimus erat in gerendo, ad quod cogebatur, bello; ita strenuissimus, ne bellum gereret, nisi coactus. (o) Nec enim minorem dixerim Fortitudinem animi, quæ nimium præfervidum militaris gloriæ appetitum moderatur; quam quæ militiam gloriosè administrat.

Hinc

Hinc vox ejus magnifica, & generosæ moderationis plena audiebatur: *Etiamsi expugnatum haberem universum regnum Gallicum, redderem illud Regi, dum illo exiguo, quod meum esse contendo, me frui patiatur.* (p) Nempe constare voluit orbi, bella non lucri, sed æquitatis causâ hactenus à se gesta fuisse. Caroli econtra Burgundi pugnax animus, non fortis, sed audacis cognomentum accepit, ferocis meruit; victorijs an clade famosior? alij judicent. Ita qui sæpe hostem quærit, victorem invenit. Sapienter Theopompus Rex, *non laboro*, inquiebat, *quàm amplum filijs regnum relinquam, sed quàm paratum, ac stabile.* (q)

Quòd si porrò bellandum erit, cùm militia sit publicus virtutis campus, non insidijs nitetur bellidux. Germanorum ea semper fuit virtus, aperto Marte decertare: nec datus est stratagemati laudabilis locus, nisi ut humano sanguini parceretur; ut ex utróque victores, in illo essent fortitudine heroës, in hoc humanitate homines. Laudaverat Julius Cæsar tam Helvetios, quàm sui temporis Gallos, affirmans, eos apertos homines, & minimè insidiosos, qui virtute non dolo, contra armatos, non imparatos decernant; Afros autem execratus vituperaverat, quòd, ut clam odissent, sic non animi magnitudine bella gererent, sed fallacijs. (r) Dulcis est victoriæ fructus Regum appetitui: sed *cùm enerves animos odisse virtus soleat*; *quæritur nonnunquam apud perfidiam, quod inveniendum esset in animo forti.* (s) Plena est Machabæorum historia, quòd cum fortissimi Judæorum duces armis superiores essent, hostilibus fallacijs ceciderint gloriosiùs victi, quàm alij essent victores. Admirationem meruit vel apud Barbaros Germana Caroli V. Fortitudo: quater repressus, ac tandem in fugam ab Hispano exercitu conjectus Barbarosa Tuneti mœnibus sese abdidit: adest interea Maurus ad arcanum alloquium admissus, spondet clandestinam Regis necem, recludendas urbis fores, & certam irruente afforis Hispano milite, intus Christanis captivis incolas cedentibus victoriam. At rejecit ingloriam proditionis operam Carolus, affirmans: *malle se cum hoste suo armis decertare, quàm fraudibus: ne imbellem bellicæ Fortitudinis ministrum adhiberet*; simulquè Barbarosam periculi admonuit: dissimulato tamen meditati facinoris authore. (t)

Est & illud præclarum Fortitudinis opus, tentare ardua, &, quæ ignavus animus desperata putat, aggredi. *Non enim quia difficilia sunt, multa non audemus*; *sed quia non audemus, difficilia sunt.* (u) Frustra Scanderbegi gladium postulas, si desit brachium, si pectus. *Ut enim cervis incassum sunt ingentia cornua, cùm animus absit*; *ita non satis est opibus bellicis pollere, nisi Fortitudo, quæ ausit, accesserit.* (x) Sæpe fortiora præstitit, qui multa tentavit, quàm qui potuit. Major fuit gloria Cynegiri, cum hostilem navim retinere conatus est, quàm cæterorum Atheniensium, qui retinuerunt. Cum Medos pugnâ Marathonicâ victos classis excepisset, fugitivos ad uberiorem cædem ut retraheret Cynegirus, dexterâ hostilem navim apprehendit, eâ ferro resectâ extendit sinistram; hâc pariter amissâ dentibus puppim arripuit, non priùs hostem dimissurus, quàm vitam. (y) Sic gloriosæ Fortitudinis opera sunt conatus, successus autem sunt eventuum. Unde magnanimiter Carolus V. cum ei non semel â magnis viris, ne Hispaniam præpropera Romani Imperij cogitatione perditum iret, suaderetur, reposuit: *infra virtutem semper fuere terrores, & gloriosiùs cum periculo summa, quàm tutò humilia sequimur*; *nam ut ut non respondebunt cogitatis eventus, conatus tamen apud posteros erit in laude.* (z)

Rursus nunquàm est tam sinistra belli alea; ut desit generoso pectori Fortitudinis locus, & Fortitudini victoria. Callimachus in Marathonia pugna cæsus, non victus est,

 quando

plurimis trajectus jaculis seu stans cecidit, seu cadens stetit, vel ab ipsis sagittis, quibus casurus putabatur, sustentatus. (aa) Victorem quis neget, qui, dum cecidit, hostes stitit, ne progrederentur victores: nobilius ille trophæum victoriæ statuit, quòd hostilibus armis corpus suum erexerit; quàm qui hostium spolia ex columnis appendêre. Ita sæpe hostem, qui cecidit, cecîdit; magisq; nocuit adversæ parti vulnus, quod miles in fronte accepit, quàm quod in tergo. Hinc providè Alphonsus dixit: *summam belli laudem mereri eum, qui fugienti hosti argenteum struxisset pontem.* (bb) Ferociùs pugnat miles, & ignavus, cui nulla spes est fugæ; & fortis, cui nulla placet. Cum Demostheni, quòd ex prælio ad Chæroneam fugisset, probro verteretur, factum excusavit dicens: *me patriæ servavi*: tum alius: *servâsses patriam non fugiendo.* (cc) Neque id à vero alienum est, cum sæpe utiliùs patriæ moriatur miles, quàm superstes vivat. Eleazarus, dum se suorum saluti devovet, sua unicus morte plurimorum vitam servavit, ab elephante, quem occiderat oppressus, sepulchrum simul nactus, & trophæum victoriæ. (dd)

Fortitudinis contrarium timor est. (ee) Tantùm imbellis est quisque, quantùm meticulosus. Brachium Hispanicum, Germanum pectus in milite exiguntur; non ignavi, & celeres ad fugam pedes. Rectè dixit Euripides. (ff) *Viri timidi nullum habent in pugna numerum, sed præsentes absunt.* Nam quod pridem adverterat Themistocles: (gg) *ut pisces, gladioli dicuntur, arma quidem habent, quibus tamen non utuntur: sic timidi, instructa licet, & armata sit acies, hostem non aggrediuntur.* Sed ut nihil probrosius est belliduci, quàm metus; sic periculosiùs nihil, quàm audacia. Ne quid temerè: & quod supra, & quod infra Fortitudinem est, atque heroum genuinæ virtuti repugnat. Par enim crimen dixerim, seu timidus te servando patriam perdas, seu temerarius te perdendo patriam non serves. Sapienter eos, qui contra rationem se periculis objiciunt, similes ajebat Augustus Cæsar (hh) aureo piscantibus hamo, qui plus damni amisso semel hamo acciperent, quàm multarum capturarum lucro posset reparari.

Cunctator Fabius Romanam restituit rem, vicit, quia non pugnavit. Audaces quidem fortuna juvat, *sed multò magìs ratio.* (ii) Gloriosa magìs est ea victoria, quæ consilio, quàm quæ casu viro forti obtigit. Hoc inter ferarum, & hominum generositatē interest, quod illæ cæco impetu, circumspectâ magnanimitate isti congrediantur. Damnavit seu impudentiam, seu tam audaciam, vel utrámque potiùs in Terentio Varrone, & Cajo Flaminio Roma, quòd ad Cannas ille, hic ad Thrasimenum, dum Hannibalem contempserant suis viribus præfidentes, Rempublicam penè funditùs subvertissent. (kk) Audacter magis, quàm fortiter Agis, cum intellexisset quosdam è suis ob hostium multitudinem perculsos, dixit: *non percontandum est, quot sint hostes, sed ubi sint, ut alacriter aggrediamur.* (ll) Creditum sibi exercitum ad lanienam potiùs educit proditor, quàm ad pugnam bellidux, qui plus audet, quàm sapit. Archidamus, cum filium conspiceret cum Atheniensibus præfervidè congredi, *aut viribus*, inquiebat, *adde, aut animis deme.* (mm) Nemo fortis, qui imprudens, *differunt* enim, *magni facere virtutem, & vitam nihili facere.* (nn)

(*a*) Nieremb. vir. coron. pag. 89. (*b*) ibid. pag. 183. (*c*) apud Beyerl. de fort. ducibus. (*d*) Car. scrib. pol. Chr. l. 2 c. 2. (*e*) virt. coron. pag. 122. (*f*) 2. Reg. 21. ℣. 17. (*g*) Aug. ad Hier. (*h*) Ambr. l. 1. de off. (*i*) epist. ad Adrian. pont. (*k*) ep. ad Henr. VIII. Ang. Regem. (*l*) Plut. in apop. Lacon. (*m*) Appi. & Diod. (*n*) Cic. de offic. (*o*) Zenocarus. in vit. (*p*) ibid. (*q*) apud Ludov. Vices. (*r*) Patrit. 7. de regno. (*s*) Valer Max. l. 2. (*t*) Vir. coron. Nieremb. pag. 147. (*u*) Sen. ad Lucil. (*x*) Plut. in apopht. (*y*) Plut. de glor. Athen. (*z*) Scrib. in pol. Christ. l. 2. c. 2. (*aa*) Plut. in paral. (*bb*) Panorm. l. 4. de gestis Alph. (*cc*) Gellius l. 17. (*dd*) 1. Machab. 6. (*ee*) l. 1. Rhet. ad Theodect. (*ff*) in Meleagro. (*gg*) apud Plut. in apopht. Græc. Imper. (*hh*) Fulgos. l. 7. c. 2. (*ii*) Cicer. 2. Tuscul. (*kk*) Pant. l. 1. c. 10. (*ll*) Plut. in Lacon. (*mm*) Brus. l. 2. c. 43. (*nn*) Aratus apud Stob. serm. 51.

FOR-

FORTITUDO HÆREDITARIA AUSTRIACORUM VIRTUS.

TErrarum Domitor, plùs quovis CÆSARE CÆSAR,
Mundi Terror, Amor Patriæ, invictissimus Heros;
Tu Rectórq; Ducum, Regúmque, & Sceptrifer orbis,
Consilio, dextraq; potens, LEOPOLDE Getarum
Victor, qui Scythicam ferro succidis Echidnam.
Hæc *Tibi* laudis habe, satis est: Cûi maxima cedant
Nomina: *Magnus* ALEXANDER, *Magnúsq;* PHILIPPUS,
Et FABIJ, centúmque suo cum MARTE CAMILLI.
Plus ultrà Atlanti cedant mavortia facta
Herculeo, cunctis LEOPOLDUS *fortior* unus.
Tantus nempè audis Regum dignissime Mundi
Imperio, superas qui prisci ingentibus ausis
Majestatem ævi, cûi clausa potentia metis
Est nullis, invicta Deûm stirps, gratulor Uni
Majorum Titulos, totámque incumbere Gentem.
Omnia si solers veterum monumenta revolvo,
Et quod in AUSTRIACIS mirantur sæcula *Divis*:
Tantò major eris, quantò plus incipis esse.
Et minimum hoc in laude *Tua* est laudata *Tuorum*
Progenies, à *Te* stirpem numeramus Avorum,
Quos dedit HABSPURGUM, genuítque vel AUSTRIA Mater:
Tu LEOPOLDE orbi præstas plus omnibus Unus;
Sufficiens pariter *Gemino Hosti* terribilis Rex.
Non habitura modum crescet *Tibi* Gloria, Nomen
Ibit in Astra *Tuum*, atquè Asiâ potiêre *Secundus*,
Non nisi deleto ponens Solymannide ferrum.
Jam partas etenim fœcundat Dacia lauros,
Europæ Æthiopes, Macedonia, Bosnia, Servi,
Et Transylvani, Transalpiniqúe Cumani;
Cum Valachis Thraces per utramque Borysthenis oram,
Sarmata, Bessus, Arabs, & fracto Bistone Tellus
Moldava, & Hungaricæ famulantia Regna Coronæ
Sunt subjecta *Tuo*, CÆSAR FORTISSIME, Marti.
Vim sensêre altam dominatorésque lacertos.
Quid superest ultrà, quod Nomina CÆSARIS æquet?
Vos immane genus Thraces, telísque superbos
Ad Pelagus Bessos, tumidásque Propontidis oras,
Usquè pruinosos Istri glacialis ad amnes,
Arctat ubi salsas cornutus Bosphorus undas,
Europâque Asiam metis distinguit utramque,
Depulit; ac per Hyperboreos ad mortua saltus
Æquora, barbaries est præcipitata sub ima
Tartara, non rediens Mahomet genus inde nefandi.
Hæc nova, sed ventura dabit Victoria major.
Teutonij! queîs pulchra jocus per bella cruorem

Funde-

Fundere Threicium, lunatáque ſternere caſtra:
Vos bellatores, vos murus aheneus orbis
Germani Martes, tanti & pars magna Gradivi
Pannonidæ fortes, per quos bene Maximus armis
CÆSAR ovat lituos inter fractáſque ſecures,
Hoc gaudete die, qui vincit ſæcula centum
JOSEPHI meritò, *Magno* gaudete *Nepote.*
Hinc in *Te* Urbs *Flaviana* triplex Thaumantias Iris
Exoritur, nuper depicta cruore Getarum;
Aſſurgúntque Arcus, veteris miracula mundi,
Atquè Triumphales rutilant, ceu fulgura Portæ;
CÆSAREIQUE vehunt SOLIS fulgore Quadrigæ
Auroram Regum, lauro, gemmíſque coruſcam.
Hoc Mahomet conſtruxit opus, fixíſque trophæis,
Mauſolæa ſui erexit pro funere Regni.
Sed quid adhuc ſupereſt, quod Nomina CÆSARIS æquet?
Unde illi æternæ flagrent incendia famæ?
Gloria tercentum minùs eſt, ſi *tanta* Coloſſos
Sculpſerit, & quicunquè locus vel bella gerentem,
Vincentémque tulit, pario veſtigia ſaxo
Signâvit; vel ubi jam millia Pyramidum ſtant,
Marmora tot figat, quot ubivis prælia vidit.
O utinam! me *Parca* dies concedat in illos
Vivere, & haud viſos orbi ſpectare Triumphos!
Cùm *Te* victorem *Bizantia* capta ſtupebit,
Victáque ſuffoſſis ſuccumbet Græcia muris.
Dum *Tibi* præſago ſic auguror omine Vates,
De Nabathæorum, lachrymant ubi balſama, ſylvis,
Trans Nilum, fulvis ubi labitur Hermus arenis,
Pendere vectigal, pretioſa tributa Sabæos,
Cappadoces, Cilices, Phrygióſque afferre videbo.
Cùm *Tibi* fumabunt Panchæo altaria thure,
Poſteritáſque *ſacrum* facient, & habebere *Primus*
Divos inter *Cæſareos*, cûi ſupplicet Orbis.
Fortis Alexander, Pompeius, & Hannibal acres,
Auguſtus, Felix, LEOPOLDUS & omnia CÆSAR;
Ut dignus Solio, ſic longè dignior Aſtris,
Poſt fata æternùm tamen ore, & pectore vives.
Hercule major eris, major *Tua* Gloria mundo,
Et *Carolo* major, Te ipſo quoquè CÆSARE major.
Luſtrorum Cæſar bis quinque beatior annis,
Et *Pius*, & *Sapiens*, & *Juſtus*, *Fortis* es idem:
Jam quinquaginta donâſti ſtragibus annos;
Quem non ſacra *Tui* perterreat ira *Gradivi*,
Heroáſque, Ducéſque ex ſanguine Semi-Deorum.
Non eſt, cur totidem pugnes, quia *vincere victor*
Quid poſſes? eſt cûi totus *victoria mundus.*

MA-


IN TEMPESTATE SERENUS.

MAGNANIMITAS.

AUSTRIACUS sortis sub tempestate serenum
Et vultum, ac animum solis ad instar habet.
Intrepidam CAROLI stupuit sic Africa mentem,
Dum paribus furerent Pœnus, & unda minis.
Supra Fortunæ DOMUS eminet AUSTRIA nubes:
Num magis ulla potest, celsior esse Domus?



Deò propria Regum virtus Magnanimitas est: ut quisquis eam non obtinuit, Imperio Princeps frustra imperaverit. Ad Templum Honoris, ubi unicè magno Imperantium labori æqua merces rependitur, & viæ dux, & loci ostiaria sola Magnanimitas est; sine hac errant per humilia vallium Principes; nec unquam pertingunt ad gloriæ verticem, splendidæ suæ operæ pretium relaturi. In Principibus verissimè virtus sibi ipsa merces: dum Magnanimitas coronatæ *virtutis corona est*; (a) quia Mater gloriæ. *Mercedem nullam virtus præter hanc laudis, gloriæq; desiderat.* (b) Præsertim Principis, dum quidquid seu est, seu dicitur sub sole æstimabile, minus est; quàm ut Regalia æquet merita. Supra communem mortalium conditionem in altum elevatus Princeps, despicit, quæcunquè communia sunt mortalibus: quia infra illum omnia. Ipse imago Deitatis in terra, Deorum more, nil quærit in omnibus, nisi gloriam suam. *Argentum quidem, & pecunia est communis omnium hominum possessio; at honestum, & ex eo laus, & gloria, Deorum est; aut eorum, qui à Dijs proximi censentur.* (c) Opes, & potentia Principatûs sunt decora: pares omnes, qui in eo regnant, fortuna facit, sola gloria impares, quæ Magnanimitate paratur. *Cætera Principi statim adsunt; unum insatiabiliter parandum, prospera sui memoria.* (d) Mortalium res evanidæ omnes: sola gloria æternum stat; quò senior, eò robustior: nec emoritur fato suo, sed interitu alieno; si nemo supersit, qui eam veneretur.

Facta Ducis vivent, operosáque gloria rerum,
Hæc manet, hæc avidos effugit una rogos. (e)

Mensura magni Principis non corporis proceritas est, sed animi celsitudo. Parvus corpore Alexander omnibus semper est Magnus, quia Magnanimus. Brevis urna parvum corpus inclusit, animi magnitudinem mundus capere non potuit. Cùm plures mundos recenseri audiret, quorum victoria deplorata esset; flevit: sed lachrymis Principum, qui non nisi honores sinistro fato sibi abreptos plorare possunt. Mori & perire vulgarium est; mori, & superesse Principum, famæ immortalitate. *Mors omnibus æqualis, oblivione apud posteros, vel gloriâ distinguitur.* (f) Sic *Exiguum nobis vitæ curriculum natura circumscripsit, immensum gloria.* Magnus Princeps, ut omen nominis nanciscatur, semper major esse contendat: perpetuò parvus, imò semper minor seipso; si contentus obtentis non quærat majora. Natura terminum magnitudinis, & parvitatis huic universo præscripsit, nunquam Principi; qui

ſupra reliquos eminens dignitate ab aliorum legibus exemptus eſt. Imperantibus nunquam metæ, ſemper plùs ultra gloriâ, & famâ. Plùs ſemper famæ, & gloriæ innata exigentia eſt naturæ Principum. Julius Cæſar viſâ Gadibus Alexandri Imagine, quæ Herculis templum æmulâ facinorum, & gloriæ memoriâ honeſtabat, pro indolis ſuæ celſitudine profundiſſimum ex imo pectoris duxiſſe gemitum viſus eſt: cauſam rogatus, repoſuit, plùs ſupiria quàm verba: *Trigeſimo ætatis anno, quem ego nunc ago, Alexander totum orbem terrarum ſubegerat; & Babylone ſe in otium collocaverat: Ego verò, ortu Romanus, nihil etiamnum ago memorabile, quo vivus gloriam merear, mortuus famam relinquam.* (h) Macte Juvenis! indoles tua, digna, quæ imperet, quia Magnanima, te ad orbis univerſi ſupremum faſtigium efferet, quod non fortunâ, ſed virtute inſcendes; ut, quam petis, aſſequaris famæ immortalitatem. *Præſtantis viri, vivum placere velle, mortuum etiam laudari.* (i)

Si *Magnanimus is videtur, qui, cum magnis ſit dignus, magnis quoq; ſeſe dignum eſſe exiſtimat*; (k) *Dignitas autem ad externa bona dicitur, quorum maximum id eſſe ſtatueremus, quod dijs attribuimus; quódq; maximè appetunt, qui in dignitate conſtituti ſunt, quod item ob præclariſsimas res dari præmium conſuevit; ab hujuſmodi honor eſt*; (l) Magnanimitas prærogativa eſt magni Principis. *Qui enim Nobiles ſunt, & divites, & in Poteſtate conſtituti, honore digni habentur.* (m) Non ſceptrum, & corona, ſed animi magnitudo Principes facit. Siniſtriore fortuna terris exutus Imperans, Principatus amiſit, non Principem, qui Magnanimus. Mithridates ab Eunone Romano Duce bello captus, victorem acceſſit, ſic intrepidè profatus: *Mithridates terrâ, marìq; Romanis per tot annos quæſitus, ſponte adſum; utere ut voles prole Magni Athemenis, quod mihi ſolùm hoſtes non ademerunt.* (n) Verè vir magne, nec te tibi ademerunt; quia animi magnitudine es ſemper idem. Vinciri poteras hoſtis, non princeps; quia illum potentia, hunc Magnanimitas facit, quæ tibi adeò libera. Sic extrema inter pericula, imò mortes, uti prima ſemper, ſic extrema Magnanimitatis cura eſt vero Principi; ut ſi præfica illi ſit Fortuna, ipſe tumulus in perenne aſſurgat gloriæ trophæum. Julius Cæſar inter confodientium vulnera ſupremam curam habuit *honeſtè cadere.* Magnus Pompeius, quo viro nemo alia omnia minùs, aut gloriam magis concupivit, dum perfidiæ victima cederet, dum caderet, pallio caput obvoluit; ne gemitu, aut voce triumphos ſuos contaminaret. His verè fuit

Hortatrix animoſi gloria lethi. (o)

Inter rerum diſcrimina gloriæ periculum non ſubire Magnorum eſt; imò ultrò hoc quærendum; ut honorem inveniant. *Virtus durioribus negotijs eniteſcit, & aſpernatur declivem facilitatem, maximóque ſudore arduum laudis adnititur.* (p) Silex innatum ſibi ignem non exerit, niſi chalybe percuſſus: nequè magna indoles virtutem explicat, niſi adverſis exagitata; tum ſe aut Imperantem probat, aut dignam, quæ imperet. Mars ille Auſtriacus CAROLUS V. æterni nominis Princeps, cùm explicato ad Tunetum exercitu à fidioribus moneretur de hoſtium multitudine longè ſuperiori, magnanimus excepit: *Plures vincemus.* Vicit plures, plùs animi magnitudine, quàm bellatorum robore; facili victoria: ſiquidem *facilia ex difficillimis animi magnititudo facit.* (q)

Explorant adverſa viros, pérque aſpera duro
Nititur ad laudem virtus interrita clivo. (r)

Nihil eſt, cui natura ſuos non congenuit appetitus, quibus avidè arripitur, quidquid ſibi bonum creditur. Principi appetitum gloriæ innatum voluit; ut gran dia ſemper expetat, ſemper quærat, & ubi ubi poteſt, velut propriam ſibi eſcam avidiſſimus

mus arripiat, ut verè in Regnantibus fieret, *uberrimum virtutis alimentum honor.* (s) *Ut hominibus Reges, ita Regibus dominandi desideria dominantur*; (t) ut latè protensa dominatione latior crescat fama nominis immensitate. Elephas molle sua animalium maximus, in acie positus, conspecto sanguine excitatur ad generositatem, tum nec pericula curat, nec vulnera; Princeps magnitudine dignitatis mortalium summus, ubi Regij syrmatis purpuram, Honoris symbolum, respicit, ad ausus maximos, ad heroica quæque facinora contempto corporis, & vitæ discrimine generosus efferuescit. *Magnanimus parvi facit, & negligit omnia præter admodum pauca. Magnis, & gravibus se objicit, in quibus nec vitæ parcit.* (u) Parœmia est: *Dij laboribus omnia vendunt*, honores periculis. Qui in stadio currit, nec laboris, nec viæ asperitatem sentit; quia bravium cogitat. Nec magnus animus objecta respicit pericula; quia gloriam pensat. Qui gloriæ avidus, etiam periculi appetens est. *Avida periculi est virtus, & quò tendat, non quid passura sit, cogitat.* (x)

Nunquam faciliùs Princeps è Dignitatis suæ fastigio decidit; quàm si periculis deijciatur. Quidquid eveniat rerum humanarum vicissitudine, *magnæ indolis est sperare semper.* (y) Feriunt altos fulmina montes; quia hos virtutis suæ digna credunt experimenta: humiles valles, & palustrium cannas dedignantur. Etiam Fortuna, rerum humanarum Dominam ludit: non humilem plebem, sed mortalium vertices fallax illudit. *Infirmi ingenij est, lapsu aliquo summæ rei diffidere, cum exiguis momentis subitò inclinentur omnia.* (z) Qui sub lauro, Honorum symbolo, est, à fulminibus tutus est; hæc illum discriminum tonitruis, & strepitu involvere, nunquam terrere possunt, quia nequeunt ferire. Virtus gloriam, adversa virtutem generant: ut sciat, qui ad honores aspirat, quod dum gloriam sperat, pericula non tam subeat, quàm amet.

Fax mentis honestæ gloria: (aa) si tamen vera, & non spuria. *Veris magna paratur fama bonis.* (bb) Verus non est Principi, si parvus, honor; cujus *Magnanimi etiam contemptores vocantur.* (cc) Magnanimi Principis idea Quintus Carolus Imperator *Maximi*, & *Fortißimi* gloriosum nomen vulgo acclamante non admisit, quia vulgare, spretâ gloriâ laudabilior. *Spreta in tempore gloria cumulatior redit.* (dd) Vulgaris est, qui vulgaria amat; & vulgaria ea, quæ vulgi. Etiam Obtrectationes minutiorum Magnanimus temnit, quia minutas. *Ille magnus, & nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minutiorum canum securus exaudit.* (ee) Elephas levia spicula mota cute discutit contemptim, nec dignatur ultione; cùm puderet levia vel sensisse. *Proprium est Magnitudinis veræ non se sentire percussum.* (ff) Etsi vel fortuna, vel obtrectator gravius telum libret; Magnanimi Principis est dissimulare sensum; ne gloria vulnus patiatur. Sic maxima etiam tela parva reddunt, ipsi famâ Maximi. Philippus II. Magnanimus Hesperiæ Monarcha, dum classem in Angliam destinatam, quæ *Invincibilis* nomine gaudebat, maris fortunâ verè sinistrâ contritam esse nuntiaretur; ut integram suam gloriam servaret; quasi non sentiret ictum, immotus reposuit: *Deo laus, quod nobis vires supersint aliam, imò majorem instruendi.* Majorem hac magnanimitate plausum meritus, quàm si Angliam vicisset. Ad infelix hoc nuncium omnes animi affectus movebantur; ut se patefacerent, gloriæ cupido omnes contexit. Verè *extrema reliquorum affectuum tunica gloriæ cupiditas.* (gg) Ita Magnis æstimabilior gloria, quàm classes, & potentia.

Fama optimo cuiq; pretiosa est. (hh) Vivi Principes dignitatis fastigio, mortui tumulorum sublimium monumentis, semper in alto mortalium oculis expositi sunt, imò censuræ, perpetuo sermonum argumento. Hinc non gesta modò, sed ne

 cogi-

cogitatio quidem humilis Magnos decet. *Non potest aliquid abjectum, & humile cogitare; qui sciet de se semper loquendum.* (ii) Famæ tuba non inanem auram, sed vitalem spiritum spirat; quo vivunt, & animantur Principes etiam mortui. Nec spiritus hic inanis est ventus, quo pascitur Imperans; sed est cibus Magnorum. *Regum cibus gloria, quam non pecuniâ, sed laboribus Dij vendunt.* (kk) Hoc pastus cibo Magnus Bellator Carolus V. inter tot belli dura validus semper duravit; qui suggerenti, ut cibum lautiorem caperet, levandis tot negotiorum gravaminibus opportunum, reposuit: *Lautè commessari vulgarium est.* (ll) Qui nempe implere cibo ventrem, quam orbem famâ mallunt. *Diuturnitatis amor, & cupido res homine dignissima.* (mm) Maximè Principe. Habent enim & folia ruinas suas: & purpuram ætas atterit. Ut ut magnum fortuna fecerit; rarò constat magnitudo non sua, & vix magnitudo, quam casus aut attingit, aut proterit fato communi. Quod uni inscripsit Seneca, transcribere licet omnibus: *Eminentis vitæ exitus cadere est:* quin quò altior est quisque, hoc acerbiorem non rarò tulit fortunam ex condicto sæpe furentem, & ipsa ob beneficia metuendam. Nec cinis Principem vulgo discrevit, nisi ingentes spiret animos. Hic unus dum superstitiosa Regum nomina vix ex nomine cognoscuntur, & Roma in medio Romæ quæritur, Julios, Titos, Augustos, et si quæ fuerunt magnarum decora mentium, à necessitate omnia ad eundem finem revocante eximit, ruínæque ipsi mundo imminenti subducit: idq; agit, ut meliori sui parte durent, dum communi lege intereunt. Cum hoc licet *vitæ brevis, gloriæ ijs cursus sempiternus est,* & inter ipsas fati umbras in memoria hominum, tanquam luce lætantur: Hic efficit, ut *absentes absint, mortui vivant:* quin ut stellæ in cælo fulgent per tenebras sereniùs; nova illis à tumulo vita exoritur, quâ in posterorum cordibus vivant. Et beatiores vivant, quia multi. *Non enim vita dicenda est, quæ corpore, & spiritu continetur, illa vita est, quæ viget in memoria sæculorum omnium, quam posteritas alit, quam ipsa æternitas glorioso obtutu semper intuetur.*

Si *magni animi magnis honoribus fiunt.* (nn) Quid de Magnanimitate Tua loquar Auguste NEO-REX JOSEPHE; qui dum imperiali corona redimireris, ad eos honores sublimatus es, quibus majores non habet orbis. Sanè ex Maximis Tuis honoribus Maximam in orbe Magnanimitatem in TE veneror. *Miltiadis trophæum Themistocli somnum ademit.* (oo) Augusta Augustissimi Patris, & Maximorum Avorum Tuorum trophæa etiam TIBI Auguste NEO-REX, irrequietos pectore nutrient stimulos Magnanimitatis; ut ijs par dignitate, gloriâ non minor, imò superior evadas. Sequêris Majores Tuos tempore, non gloriâ; quia nulli secundus gestorum memoriâ. Eorum Gloria per TE non patietur labem in posteris: qui ad summa facinora, & Heroicos ausus â DEO, naturâ, & indole donis pulcherrimis abundè instructus es. Nihil inconveniens ages; cum gestorum gloria Majores Tuos non æmulari modò, sed excedere ambiveris: siquidem *honestus ambitus est, quos sequimur tempore, velle præconijs anteire.* (pp) Tum enimverò etymon nominis Tui implebis Princeps *Crescens*, Verus Augustissimæ Domûs Tuæ Primus Cæsar JOSEPHUS.

(*a*) Arist. Ethic. 4. (*b*) Cic. Philip. 2. (*c*) Polyt. (*d*) Tacit. 1. hist. (*e*) Ovid. Epist. ad Liviad. (*f*) Tacit. 1. annal. (*g*) Cic. (*h*) Suet. in Cæs. c. 7. (*i*) Spartianus Defun. Nig. (*k*) Arist. 4. Ethic. c. 3. (*l*) Idem ibidem. (*m*) Arist. 4. Ethic. c. 3. (*n*) Tacit. l. 12. ann. (*o*) Statius l. 9. (*p*) Sym. 9. 81. (*q*) Cæsar 2. Civ. (*r*) Sil. l. 4. (*s*) Valer. Max. 2. 1. (*t*) Sidon. 2. Epist. 13. (*u*) Arist. 4. Ethic. 3. (*x*) Sen. de Provid. (*y*) Flor. l. 4. c. 8. (*z*) Egesipp. l. 4. c. 11. (*aa*) Sil. l. 6. (*bb*) Luc. 6. (*cc*) Arist. 4. Eth. 3. (*dd*) Luc. (*ee*) Sen. l. 2. de ira c. 32. (*ff*) Sen. l. 3. de ira c. 25. (*gg*) Simpl. in Epict. c. 48. (*hh*) Sim. 3. 69. (*ii*) Mamert. Paneg. (*kk*) Panorm. l. 1. (*ll*) Nieremb. Virtus Cor. pag. 2. c. 2. §. 8. (*mm*) Pl. 5. Ep. 8. (*nn*) Liv. l. 4. (*oo*) Plut. in Themist. (*pp*) Cass. g. 7.

EN-

ENCOMIUM CAROLI V. A MAGNANIMITATIS VIRTUTE CELEBERRIMI.

AH fœtus cerebri ſomnia cedite,
Non vanas animo pingite imagines;
Laudes Herculeas promere deſine
Inconſulta loquacitas.
Quos commenta ſuis è tenebris cient,
Et donant fatuo lumine fabulæ,
Confictíſque creant prodigijs Deos
Gentes, Numinis indigos,
Heroum genitrix, progenies poli,
Europæque ſalus, vis Alemanniæ,
Virtus Imperij, maxima Cæſarum
Nutrix AUSTRIADUM DOMUS
Confundit, ſoboles veriùs educans
Stirpis magnanimæ, diſſociabili
Nunquam qui ſocium fædere copulant
Veri niſibus Herculis.
Talem te video, CAROLE, Principum
Summorum ſpecimen, diradiantium
Factorum ſeries dum Tua panditur,
Séque obtutibus objicit.
Dum bello premeris, neſcius es metûs;
Ac inter gladios cladibus invius
Tranſcendis dubiam Marſpitris aleam
Magni robore pectoris.
Transîſti medius fulminis ocyor
Alis per dubias Iliades mali:
Non diris poteras caſibus atteri,
Nec formidine concuti.
Et quamvìs feritas ſortis, & in Tuam
Conjurata necem Tartara ſæviant,
Et livor furias luctificas, ſuæ
Iræ concilium, vocet:
Tantò plùs meritum Martis adoream
Virtus perpetuis donat honoribus,
Ipſas ad vigilis lampadas ætheris,
Cælíque excubias locans.
Quis non attonito cum validis notis
Certantem videat lumine CAROLUM,
Cingentem Lybies obſidionibus
Urbes Marte maritimo?
Hîc Cæli ſubitò mixta ſerenitas
Miſſis Æolij carceris incolis
Diſrupto gravium vellere nubium
Nimbis multiplicat mare:

Aſſur-

Aſſurgit rabido murmure Nereus;
Undas agglomerat ſideribus pares,
Intentans animos mergere naufragos
Solo naufragij metu.
Ardens Oceanus fluctibus opprimit
Claſſes; ut pereant præda trifaucibus
Scyllarum canibus, littoribus quoquè
Sint ſpectacula triſtia.
Mavors interea Cæſareus ſolo
Hoſtili gelidis à pluvijs rigens,
Nervis corporeis frigore languidis
Inclementiùs aëra
Graſſantem, pariter ſæva minacium
Afrorum metuens agmina, neſcius
Succumbátne feris enſibus hoſtium,
An conflictibus ætheris,
In damnum cujus fræna licentiæ
Laxat barbaries, obſtrepit aëris
Tempeſtas, pelagi ſueta furoribus
Cudit tela neceſſitas.
Unus non quatitur, qui patet ictibus,
Sed conſtans animo pro gladijs caput
Tot diſcriminibus CAROLUS objicit
Non arce, unde pericula
Rideret poſitus, non tenebris latens
Cratis vimineæ, non Agamemnonis
Munitus clypeo, non aciem cavens,
Pugnas eminùs aſpicit:
Sed fortes, medijs morte ruentium
Se fatis ſocians, excubias obit,
Et riſiſſe monet ſemi-animes malis
Tantæ ſævitiæ modum.
Verùm te Dominum non Lybie modò,
Sed quaſcunquè plagas ſol habitabiles,
Neptunúſque ſinu continet, in quibus
Laurus Martis acinace,
Et ſudore Tuo nobilis, aſpicit.
Moles Herculeo lemmate nobiles
Auſu, ô Magne! Tuæ, non imitabili
Dum bello ſubigis mare,
Virtutis ſuperas, non fragili tenens
Clavo regna. Thronum contremuit Tuum
Fortunæ levitas, quæ vice lubrica
Illudit diademati.
Sed cogor meritis ponere terminum
Laudum proloquijs HERCULIS AUSTRIJ,
Qui per magna ſui faſcibus Imperî
Æternum tribuit decus.

CON-


ET LVCE ET ORDINE CONSTANT

CONSTANTIA.

En toties agitata ſuo tamen ordine conſtant,
En quoq; primævâ ſydera luce micant.
AUSTRIA Cæſaream, toties jactata, coronam
Servat, & antiquo fulget honore Domus.
Plus dedit AUSTRIACIS cæleſti è ſemine virtus:
Nil adeò conſtans gignere terra valet.



Onſtantia circulus eſt, ſed minimè vitioſus, quâ in orbem dum circumeunt virtutes, ſtabiles quieſcunt; quia dum quævis juvat aliam, omnes juvando perennat. *Bonus circuitus, ſi juſtitia quærit, prudentia invenit, fortitudo vendicat, temperantia poſſidet; ut juſtitia ſit in affectu, prudentia in intellectu, fortitudo in effectu, temperantia in uſu, omnes in nexu.* (a) Qui ſibi conſtat Regiæ Majeſtatis animus, nec per ambitionem alienis inhiat injurius; nec per levitatem ſua negligit improvidus, nec per ignaviam propria omittit timidus, nec per luxum domeſtica peſſumdat prodigus. Conſtantiæ igitur peripheriâ terminandum eſt, quidquid virtutis laudem vult mereri. *Virtus enim, ut amicitia, quæ deſinere potuit, nunquam fuit.* (b) Extra orbitam honeſti errat, quod perſeverantiæ ambitus non circumſcribit: facilè ſupra prudentiam fit ſuſpicioſus, contra juſtitiam ſeverus, ſupra fortitudinem audax, contra temperantiam magnificus, quem vaga levitas in varia torquet. Quædam ad ſeptentrionem ſidera in communi cælorum motu immotum ſervant ordinem, quo hæc illorum Conſtantia non tam coronetur, quàm ipſa ſit corona. Sic dum Princeps eundem ſemper recti tenorem ſervat, continuatam virtutem, cui coronidem imponit, coronat. Digna profectò coronatis Regum capitibus corona virtutum Conſtantia!

Inconſtantiam cælo exulem, terrarum inquilinam pictor Tempus (ut volunt fabulæ, veritatis latentis ſymbola) effigiaverat in tabula non aptiore, quàm vultu hominis: hìc irarum, amorum, gaudij, mærorîſque ſedes eſt, & viva inconſtantiæ imago pro varia rerum, quas tempus affert, viciſſitudine. *Nunquam in eodem ſtatu permanet, qui multis miſerijs repletur homo.* (c) Sed hæc mobilis vulgi natura eſt: non item Regis, qui ut dignitate cunctis eminet, ſic à plebeijs vitijs eſt remotiſſimus. *Rex eſt, qui metuit nihil, & tuto poſitus loco infra ſe videt omnia.* (d) Scopulum præaltum dixerim, ad cujus, ſed inconcuſſi, pedes inquieti fluctus alliduntur. Idem nempe ad omnes fortunæ vultus Regi ſervandus eſt vultus, nec in eventuum varietate à bene cæptis deſiſtendum. Faciliùs durat inter jacula prævìſa prudens, & æquitatis amator ſuâ contentus ſpartâ; nec bonis, dum affluunt, plus juſto afficitur. Qui temperans eſt in proſpera, facilè fortis eſt in adverſa fortuna, in utraque conſtans. His cardinalium virtutum cardinibus dum regius innititur animus, etiam cum varijs utriuſque ſortis rotatur caſibus, Conſtantiæ circulum deſcribit. Multum intereſt,

quo motu quis circumferatur, æquabili, an irregulari; moveatur, an agitetur. Stellæ ijsdem ad leges orbibus jam à sui primordio stabiles gyrantur: vel ideo dignæ, quæ non corrumpantur. Inane folium nunc vento rapitur, nunc non tam quiescit, quàm relinquitur.

Faciliùs est multa facere, quàm diu. (e) Illud quidem agilis est, hoc constantis. Sed *nonnunquam diversitas vitium est vacillantis animi, & nondum habentis vigorem suum.* (f) Vespasianus Imperator à gravi maturitate id virtutis obtinuit; ut nihil in eo arrogans, aut in rebus novis novum fuerit. (g) Levis econtra indoles tædio cæptarum rerum afficitur, in novas prona, nec tenax veterum; solâ constans in inconstantia, dum multa amplectitur, manutenebit nihil. *Frequens enim, ac mobilis transitus maximum perfecti operis est impedimentum.* (h) *Vituperium quippe generant, quæ in medijs conatibus ægra deseruntur.* (i) Quisquis felicem exitum cæptis optat; ne cedat malis, sed contra audentior eat. *Nihil est, quod non expugnet pertinax opera, & diligens cura.* (k) Flectit se illi tandem victoria, contra quem se principio erexerat. Pertinaciam nemo, nisi Constantia vincet.

Carolus V. in Tunetano ad Guletam bello, ubi major resistentium barbarorum vis repellebat, ibi frequentior urgebat contemptâ adstantium morte. Accesserant Alvarus Barzanus, & comes Tendilla, negantes se terrâ, maríve assultum facturos, nisi Cæsar ad tutiora se reciperet. Non cessit tamen ab occupata semel statione, nisi cùm alibi ob immanem missilium bellicorum vim Hispanicus, atquè Italicus miles in confusionem ageretur, quò se contulerat inter titubantium turmas inclamans: *Ite milites mei, ite leones, & cum vestro Principe hostem urgete.* (l) Sic quæ forti Carolo diu restiterat Guleta, cessit constanti, & cæsa Turcarum duo millia, ereptæ balistarum æ nearum trecentæ, naves quinquaginta occupatæ. Rudolphus I. cum geminam Burgundiam ad Imperij fidem armis revocaret; vario primùm Marte certanti aderant à Philippo Pulchro Gallici Legati, comminantes ipsius Regis cum copijs adventum, nisi quantocyùs ab ijs provincijs exercitum revocaret. Subridens reposuit Imperator: *veniat, inquiens, Rex, præstò habet expectantem, intelligétque, quàm vanum sit legem ferre armatis.* (m) Suggerentibus porrò suis, non tutum illic locorum subsistere ob annonæ penuriam: objecit invictissimus Monarcha: acti in fugam hostes abundè relinquent, quod alendo exercitui sufficiat. Nec fefellit fiduciam eventus, quando fusis Roberti Burgundiæ Ducis, & Theoberti Ferrentani copijs Germanicus miles copiosa spolia in castra retulit, & territi Cæsareâ constantiâ Burgundi positis armis, nec expectatis Gallorum auxilijs, pacem rogavêre: poterátque illud de Rudolpho jure dici; quod Hannibal dixerat de Marcello, sibi cum eo hoste negotium esse, *qui nec victus nôsset quiescere, nec victor, donec, quod voluisset, obtineret.* (n) Extorquenda nempe est victoria vel invita, & durando vincendi fortes.

Tolle perseverantiam, nec beneficium gratiam habet, nec laudem Fortitudo. (o) Quoties gloriosa bellorum initia excepit probrosus finis! *Debellatum fuisset cum Romanis, si ad Cannas bellatum uno adhuc die.* (o) Quod virtus expugnavit, sæpe inconstantia perdidit. Vicisset Cyrus Massagetas, nisi victoriâ abusus, cùm fugientem hostem assequi oporteret, relicta spolia fuisset insecutus. Contra Helvetij, qui Novariâ egressi, facto in Gallica castra impetu, memorabile prælium, gravissimúmque bellum confecerunt: offerebant se Ducum pretiosa supellex, cæsorum copiosæ vestes, opulenti exercitûs varia impedimenta: patriæ tamen disciplinæ memores totum diem stetere immoti, ne ordinibus turbatis, dum in spolianda cadavera se effunderent, à collectis Gallorum reliquijs partâ spoliarentur victoriâ. (q) Nempe exercitus, dum

dum militem exuit, prædonem induit, etiam victoriam, quam arripuit, amittit. Petit id sibi victorijs Constantia obsequium, ut etiam, cùm debellatum est, arma serventur.

Habet hoc speciale constans, ut, quantam de se concepit fiduciam, tantum incutiat timorem hosti, & cedere cogat, dum non cedit. Agesilaus cùm Macedoniæ finibus cum exercitu immineret, per legatos à Rege petijt, pacatam, an hostilem terram esset transiturus? is cùm deliberaturum se respondisset, *deliberet*, inquiebat Agesilaus, *nos interim transeamus.* (r) Territus eâ generositate Rex liberum, pacatúmque transitum indulsit. Nec major illa Senatûs Romani constantia fuit, quando Popilius datâ Antiocho epistolâ jussit; ut exercitum Ægypto removeret; nec inhiaret regno Ptolomæi liberis debito. Lectâ Rex urbis voluntate cogitaturum se dixit, quid facto opus; tum Popilius virgâ ei circulum circumscribens asseverârat: *huic insistens loco responsum dabis.* (s) Perculsus Rex imperata se facturum spopondit. Magna constantis securitas est, quæ etiam potenti periculum facit. Quæ cæpit, novit prosequi conscia sibi virtus, vincitque adversam partem hoc ipso, quòd insistat. Quod fortiter inchoatum est, non est ignavè deserendum, ne hostis audere incipiat, cùm desinis.

Ipsa adeò Justitia, quæ manutenere solet, ut virtus sit, à Constantia debet manuteneri. Hinc non minùs justè, quàm constanter egit Ferdinandus Hispaniarum Rex, quando legem pœnalem, quam in Petrum Consalvi Magni nepotem tulerat, inviolatam defendit. Violatum Petrus officij publici hominem, vinctúmque Mondelliam (urbs erat ab arce munitissima, & marmoreis ædificijs totius Patriæ princeps) perduxit: quod facinus cùm Ferdinandus armis vindicare statuisset, Consalvi Magni precibus mitigatus Petrum ad decimum ab aula milliare relegavit, & Mondelliam funditùs everti jussit; ut æquata solo perpetuus apud Proceres esset regiæ severitatis testis. Intercesserat Consalvus, ut paternæ virtutis monumento, natalíque solo tot sumptibus ædificato parceretur: accesserant Legati Gallici deprecatores, æquum censentes; ut, qui centum urbes, innumeráque oppida pro Rege occupâsset; is mutuo munere paternum oppidum impetraret. Sed Rex invictus, quæ statuit, observari voluit, &, ne à Justitiæ constantia severior crederetur, pro Mondellia paucos intra dies eversa Loxam urbem Consalvo possidendam donavit. (t) Sic est: non est emendanda lex, quæ est, ut emendet. Iniqua est æquitatis conditio, si deficiat justa in reos pœna, & delinquentium duret reatus. Qui causam statuendi habuit, statuta urget, dum manet causa; ne fiat patronus criminis, qui fuerat vindex.

Pari ratione Prudentia sibi jus perennandi vendicat. Solon cùm leges difficiles, sed necessarias Reipublicæ bono condidisset, abijt spontaneus exul; ne civium rogatu abrogare cogeretur aliquas idem, qui condidit; &, dum facilis videri vellet, inconstans esset. Sapienter Pausanias Plistonacti, cur nullam ex priscis legibus apud Spartanos antiquare jus esset, quærenti, respondit: *Quod cives in potestate legum esse oporteat, non in civium leges.* (u) Qui multis lege conditâ consultum voluit, servatâ consulat: ne, dum legem abrogat, virtuti deroget. Si deliberandum est diu, quod statuendum est semel, retinendum est semper, quod statutum est semel: imbecille enim dixerim, quod diutiùs parturitur, quàm partum vivit. Recitatur lex, non promulgatur, quæ vix lata, jam sublata non ampliùs obligat. *Facilis legum, quæ extant, in novas commutatio, naturam legis infirmat.* (x) Lex quippe non est, quæ non corrigit, sed corrigitur. Erroris suspicionem facit, qui, etiam quod sapienter jussit, revocat; an enim emendes, an immutes, quis discernet? Prudentiæ proinde erit, non tam servanda præcipere, quàm præcepta conservare: nequè enim est virtus, quæ per inconstantiam elanguet, aut non tuetur ea, quæ aliquando prudenter fuerunt.

Verùm

Verùm cùm & Princeps humani nihil à ſe alienum putare debeat; errare poteſt, cùm vult ſapere. Nunquam labi inter optanda, non inter ſperanda reponi debet. Nolo Herodianam in dato ſemel imperio conſtantiam: *Neque enim prudens, nequè conſtans improbitatem primam ſecundâ ſignavit.* (y) Erravit Rex? non firmet errorem errore novo. Quid enim turpiùs? errare, ne videaris errâſſe, &, quod malè ſtatutum eſt, pejùs tueri. Ageſilaus, cùm audijſſet perduellem quempiam in omnibus tormentis durâſſe, *quàm miſer*, ajebat, *hic homo eſt, qui in res tam flagitioſas conſtantiam collocat!* (z) Obſtinatus eſt, qui ſic eſt conſtans, & graviùs errat, dum non mutat errorem. Præclarè conſtantiſſimus in accepta ſemel æquitate Imperator, Carolus V. Hic cùm privilegium quoddam à ſe conſignatum moneretur Juſtitiæ legibus repugnare, mox ſibi reddi juſſit, ac diſcerpendo dixit: *malo meam lacerare ſcripturam, quàm animam.* (aa) Id quod didiciſſe videtur glorioſiſſimus Nepos Philippus, cujus ſymbolum erat: *quod malè captum eſt, ne pigeat immutare.* Incurabile malum eſt, quod pertinaciâ inveteraſcit, & depoſitis ſimiles ij, qui eo laborant. *Nam deſerendi ſunt ab optimo conſilio; donec tandem inde profecta incommoda ſentiant.* (bb) Sed inquiunt: Regiæ authoritati derogat, qui legem emendat: quaſi innocentiùs erretur, ſi pompoſiùs. Magìs Regium eſt, ſi errori gladium inijcias tollendo, quàm ſi paludamentum tegendo. Sub aliena ſpecie ſi placuit vitium, ſub propria diſpliceat: & quæ primum conſpectum fefellerant, non fallant ſecundum. Multa nudantur à tempore.

Ipſa mutatio conſuetudinis, quamvis utilitate adjuvet, tamen novitate perturbat. (cc) Ideò ex Antiſthenis conſilio *tanquam peregrinum exulet, quidquid ex conſuetudine pernicioſum naſcitur.* (dd) Antiquetur, quidquid malè antiquum eſt, *Conſuetudo Principis authoritati cedat, pravum uſum lex nova, ac ratio vincat.* (ee) *Malè enim recti locum tenet error: quia publicus eſt, & paſſim receptus.* (ff) Quaſi honeſtius ſit, quod frequentius. Nihil innovat velut varius, & inconſtans Rex, qui antiquiſſimam legum honeſtatem lege novâ proſequitur. Mutavit diuturnus mos rationem boni? quid mirum, ſi eandem alibi quærat, & urgeat æqui bonique tenaciſſimus Princeps. *Conſtantia* enim *virtus eſt, quâ firmiter in propoſito perſiſtitur, quàm diu ratio dictabit.* (gg) Immenſum quoddam eventuum mare mundus, varijs, & incognitis cauſis tanquam ventis agitatum. Ut ergò mutatur, & migrat bonum; ſic mutetur etiam voluntas; ut ex ipſa hac mutatione ſemper inſiſtat bono. Non vult diverſa, qui eandem in diverſis ſpectat honeſtatem. Non abs re Leothychidas inconſtantiæ taxatus repoſuit: *mutor, ſed pro temporum ratione, non ut vos: prudentis enim eſt, conſilia pro re nata mutare: & ſine cauſa alium fieri, inconſtantis.* (hh) Hinc, ut ſapientiſſimum habet Caroli V. effatum, *conſilia, & ſanctiones eædem perſeverare non poſſunt, uti neque tempora, quæ quater per annum variant.* (ii)

(*a*) Ambr. de off. (*b*) Sen. ad Lucil. (*c*) Job. 2. (*d*) Sen. in Thyeſt. (*e*) Fab. 1. c. 19. (*f*) Sen. in ep. (*g*) Tacit l. 2. (*h*) Bell. l. 1. (*i*) Caſſiod. l. 4. ep. 21. (*k*) Sen. ep. 1. ad Lucil. (*l*) Nieremb. virt. coron. pag 147. (*m*) Ibid. pag. 105. (*n*) Plutar. (*o*) Bern. ep. 129. (*p*) Lucan. l. 7. (*q*) Jov. l. 11. hiſt. (*r*) Plut. in apopht. (*s*) Ibid. (*t*) Jovius in Conſalvo. (*u*) Plut. in Apopht. (*x*) Ariſt. l. 2 de Rep. c. 71. (*y*) Carol. Scrib. in polit. l. 2. c. 15. (*z*) Eraſm. l. 1. apopht. (*aa*) Didac. Saaved ſymb. 65. (*bb*) Euſeb. Philoſoph. apud ſtob. ſer. 23. (*cc*) D. Aug. epiſt. ad Janu. (*dd*) Apud Laërt. l. 6. c. 1. (*ee*) Iſidor. in ſynon. c. 2. (*ff*) Cic. ep. 58. (*gg*) D. Th. 2. 2. q. 173. (*hh*) Plut. in Lacon. (*ii*) Virt. coron. Nier. pag. 156.

INVICTISSIMA AUGUSTISSIMÆ DOMUS AUSTRIACÆ INTER PROSPERA, ET ADVERSA CONSTANTIA.

Credámne posse concuti AUSTRIADUM fores,
Quas ante Numen excubat?
Credam, reverso gurgite ubi current freta,
Ferétque cælum gramina:
Credam, ubi nivosis Phœbus ardebit Scythis,
Thetísque flammas nutriet.
Non, si resurgens primulâ Titan face
Rosis coronet sydera:
Non, si diurnos balneo abluere maris,
Jubeat labores Hesperus.
AUSTRIACA possunt pectora extolli altiùs,
Angoribúsque deprimi.
Rumpere silentis Tethyos pacem queunt
Phalanx duellans Æoli,
Fortuna fatum vertere, inimicâ manu
Si fortè jactet aleam:
At sede non evertere AUSTRIACOS suâ:
Adamante stat semptemplici,
Opere perenni structa RUDOLPHI DOMUS,
Æternitatis symbolum.
Exempla desunt? maximi exempli vices
LEOPOLDUS implet unicus.
Vidi furente turbine excussa in thronum
Volare nuper fulmina,
Quando frementis sæva tempestas Scythæ
Terrore cepit AUSTRIAM.
Vidi vicissim Cynthij impletum jocis,
Zephyríque fotum basijs;
Dum vel secundo Marte depulsi solo
Probrum fuêre Barbari;
Vel occupatis Aquila construxit novos
Nidos triumphans urbibus:
Sed fronte eâdem semper, & vultu sibi
Similis priori constitit.
Qualis tumentes inter Aquilonum minas
Jovis furentis impetus,
Ac svaviantes pariter astrorum jocos,
Amæna Phæbi basia,
Constans Olympus vertice sereno nitet,
Sortémque ridet Protheam.
Quoties sacratum petijt AUGUSTI caput
Emissa turba Tartaro?
Rebellionum turbinem enatum styge
Statione cedens Cerberus,

Erebíque partus Hæresis in aulam impulit
Motura sede Cæsarem?
Nîl ille motus, ardua ut cautes salo
Risit procellas æquoris.
Tolerare nempe fortiùs fortes decet,
Et ferre fluctûs impetum.
Haud est virile, dura si tollas, gradu
Perstare firmo. Turbines
Si non lacessant placida ventorum freta,
Nullúsque surgens gurgite
Permiscet æstus, puppe te portum integrâ
Tenuisse non mirabere.
Superare fluctus posse, nec vinci malis,
Solius est Constantiæ.
Ut tristiori Cæsaris Nostri fibras
Bellona telo læderet;
Accendit ipsa duplices nuper faces,
Flagrúmque versans dexterâ,
Et quâ jugales Phœbus accendens novos
Monstrat juventam Memnoni;
Lassatus & quà properat Hesperio mari
Axes rotarum mergere,
Excivit hostes: Fausta sed posthac DEO
Favente cecidit alea:
Quando lupatos mandere edocti Scythæ,
Calcata Lunæ cornua,
Et occupato Lilia excedunt solo.
Hinc quæ voluptas nascitur?
Mæroris & quod inde se pandit mare?
Sed stans moveri nescius
LEOPOLDUS esse docuit AUSTRIADUM, Sibi
Constare nunqam dispares.
Nam sive molli Zephyrus afflatu beet,
Pennísque blandis provehat;
Seu perstrepente turbine armetur minax
Boreas, feroci flamine
Rapturus omne patriæ terræ decus;
Astant serenis vultibus,
Sortísque semper mobilis calcant rotam.
Fortuna fors *His* rideat?
Suos faventi subtrahunt vultus Deæ:
Fleat Illa? dulces explicant
In ora risus. Semper, & quovis *Sui*
Sunt in tumultu. Vivite
Sic *magna mundi Sydera*, perenni Polos
Ambite motu, & Arcticum
Antarctico sic jungite: ut firma AUSTRIÆ,
Orbíque Pax affulgeat.

LON-


EST MORA LONGA

LONGANIMITAS.

Flos Aloës seris quamvis, tamen advenit annis:
Longaminis nulla est sic mora longa nimis.
Flos Aloës quod habet, DOMUS hoc habet Austria tristem
Passa diu sortem, floret, & auget opes.
Longimanos alios bellis extensa Tyrannis;
Longaminos virtus efficit AUSTRIACOS.



Agnum imperij corpus, ut multis tuendum est manibus, ita magna Principis animandum est mente; cujus mensura Longanimis virtutis est decem peda; huic ni respondeat, pusillam crede, nec regno ferendo parem, licet cum Atlante humeris cælum tangat. Qui enim molli cum arundine ad quosvis eventus trepidat, aut contrariæ cujusvis est ludus auræ, labentem princeps vix fulciet orbem. Nec diademata Regum, sive aurea, sive gemmea dixeris, sine pondere sunt; caput erectum, ingentésque humeros, ærea pectora, dextrámque Herculeam petunt, quæ adhuc in cunis anguium elidat animos. Ita dum pastoritiam tractabat arundinem, digna Rhetorum jam gessit calamo, olim è caula evocandus ad regnum Vates Regius; qui futurus aliquando superior gigante, nulla priùs calamitate se ipso factus est minor, donec quos ferro, & robore non potuit ad ruborem hostium longanimi patientia malorum insultus vicit. Nimirum: ut vix integro sæculo inter viscera terræ aureum partum natura excoquit: solidas quercus una vix ætas nutrit: sic magnas animas, totum quæ portent orbem, non una dies alit. Longa tempora requirit virtus, nec ad coronas maturescit: nisi frequens adversitatum rigor, & curarum æstus cum vere hyemem, æstatémque misceat, & fortuna sæpe non ultra herbam adulta rursus sub falce fatorum cadat.

Grande hoc, si quis unquàm, certè Austriaci Heroës, quorum regia indoles rebus in laceris semper integra, in perditis semper sua, in desperatis semper DEO nixa, longanimis penetrârunt arcanum patientiæ; quæ illis instar est sigilli: dum sibi constant, quamcúnque cupiunt figuram sorti imprimunt, & quod intendunt bonum, effigiant. Austriacis siquidem Principibus jaculorum objectæ grandines sunt ora in portum gloriæ: Tanta illis fiducia sui, ut fortunæ ire obviam non dubitent; nec illi loco cedant, nec habeant, unde timeant; in pace divites oleis, in bello laureis. Atque ut ex urticis apes mella colligunt; faber peritus ex ense format Clypeum; ex toxico medicus alexipharmacum: sic longanimis Austriacorum Principum in adversis tolerantia hac arte pollet inclyta: ut, ad stuporem orbis, cuncta possit facere, quæ desiderat. Hinc tanta illis malatia mentis, ut Socratis imitatores, videantur nunquam tristari, mutari nunquam; ijdem semper, semper beati. Et quamvis in Austriacæ virtutis solum livor, & invidia hostili manu malorum omnium jactent semina, malis tamen infracta Austriacorum virtus post aliquot aristas in regium epulum poma adolescit in aurea,

Huc oculos, si spectaculum amat orbis: huc animos, si miraculum. Magnis Majora Cæsarum Nomina, ni potiùs dixerim; Magni Nominis Cæsarum prodigia audiat RUDOLPHOS, ALBERTOS, CAROLOS, FERDINANDOS, LEOPOLDOS: Quod in pacis nostræ Signo cum RUDOLPHO primo felici augurio imperium sunt auspicati, eodem, quo DEUS regnat, Sceptro contra hostes DEI, & Imperij hucúsque gloriosè sunt usi. Hinc laceratis licet Regnis integri tamen semper Cæsares nihil unquam perdidere Majestatis: quia sui imperium, externo quovis Augustius diuturna adversitatum tolerantia sine metu,& motu retinebant. Quin imò qui ultrò se ingerentem Fortunam non raro arridere dedignati, hostili tumultu territam, avolantémque irridere sæpe sunt visi: dum etiam reluctantem longaminis patientiæ in nassas involutam orbi spectandam evoluerunt: paucarúmque ætatum lustro tam ampla, & Augusta Maiestatis sumpsêre incrementa; ut totus Austriacis prope mundus in palatium cesserit, cujus extremos angulos cum Sampsone complexi pro libitu orbem concuterent: nisi sustinere mallent Longanimitate facti Longimani, nemine non Majores, quorum animus etiam cælum transcendit. Latiùs profectò Augusta Regum Indole Sceptra propagare non volentes, quam mundus pateat. Qui tamen, licèt sobriæ ipsorum regnandi potestati sufficiat; non tamen factis, & famæ, quâ plures mundos impleturi fuissent, si darentur.

Nequè est, quod in hoc miretur orbis. Adversitatum quippe pondere firmatur Austria, non gravatur, minùs opprimitur, sed contra naturam gravium ad cælum usquesublimatur. Hinc ut cedro dignam domesticam Virtutem multis adversitatummotibus exercitam, probet minimè sterilem,pluribúsque regnis ferendis parem: illius quoque afforis exhibet ubertatem; ut grandes arbores solent: dum extra,Austriaca septa, Regalibus Sceptris congenita, avidæ orbis expectationi nova poma protendit. Nimirum, ut Romani Catonis effato: *Non est arbor solida, nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat: ipsa enim vexatione constringitur, & radices certiùs figit.* (a) Sic per non humilia formantur, qui ad magna sunt destinati. Nec enim Coronæ sunt sine spinis, nec Sceptra sine pondere, nec gladius sine cruce. Quos mundi Conditor publico bono dedit, & de virtute solis plurimùm participant Cæsares, laborem quoque cum sole dividunt, ut nunquam quiescant. Quin imò quati subinde omnia necesse est; ut, â quo sustententur, fulcro ostendatur. *DEUS enim quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet.* (b) Castigata in multis alijs præfidentia, in pluribus superbia, in plurimis incuria, in reliquis severitas, in solis Austriacis exercita subinde patientia non in pœnam, sed in præmium, non ad supplicium, sed coronam; ut videat orbis pro hac Domo longanimi adversitatum tolerantia à DEO sæpe tentata, & probata, majorem potestatem vigilare, quàm humanã.

Sapienter Romanus politicus: *Nihil habere ad quod exciteris, cujus denunciatione, & incursu firmitatem animi tui tentes, sed in otio inconcusso jaceas, non est tranquillitas, malitia est.* Imò *nihil infeliciùs eo, cui nihil unquam evenit adversi.* (c) Enervis jacet sine adversario virtus. Ille, qui fudit sanguinem suum, cui dentes crepuerunt sub pugno: Ille, qui supplantatus, adversarium toto tulit corpore, nec projecit animum projectus; qui, quoties cecidit, resurrexit cum magna spe ad pugnam descendit. Nunquam siquidem molle virtutis documentum, calamitas virtutis occasio est. Vix enim quemquam orbis ad magna natum vidit, qui Fortunam ad tempus Novercam non habuit, quæ Spartanæ matris indole, quos à flagellis educat, Heroës nutrit, quos timeat simul, & amet orbis. Herculem monstra probant. Typhin maria, Achillem prælia, virtutem occasio; quæ sola ad solium nata, quæ ibi induratur, ubi cætera emollescunt, & ubi etiam emarcuit non unus Hercules, tamen ad

ardua

ardua efformatur Ferdinandi successu potiùs, quàm nomine Secundi, magis robore animi, quàm Imperatorio Titulo invictissimi Cæsaris Exemplo: (d) Contra quem inimicis sæpe quidem classicum intonabat Malitia, sed receptui cecinit Innocentia: persecutiones illi cessere in potentiam, adversa in gloriam. Inde hostibus factus terribilis, bonis amabilis, utrísque admirabilis. Hic decumanis procellis vapulans adeò longanimi induruit patientia, ut consuetudine tolerandi versa in naturam vincendi, præter virtutem nescias, quid amârit, præter DEUM, quid timuerit. Tam solidi pectoris erat, ut totius orbis suffragio: hunc sibi rerum natura delegisse sit visa, quo illius ætatis lustro metuenda collideret; qui cum viribus sibi stabilire Regna potuisset, longanimi virtute victor eligi maluit, quàm intrudi, quæri ad Regna, quàm quærere: Longamini meritorum Fiducia expectare honores, quàm provocare. Adeò verum est: eos celeriore impetu ad dignitatem ferri, quos gravat Heroicorum facinorum pondus, quàm quos alæ ambitionis deportant.

Neque mirum; tot enim inter adversitates adulta Cæsarum patientia portentosa semper mater est gloriæ; gemino fœcunda pignore, Clementiam, & Pietatem generat; illâ populorum affectū rapit; hâc ipsum DEUM, & Cælites in sui amorem, & defensionem trahit. *Divina quippe Dextera libens se adjungit longanimi supplicum pietati, præcipuè; ubi superborum impietas est vindicanda.* (e) Hinc ut vinceret olim in terris Imperator Theodosius, Martem in cælis induunt Superi; pro Carolo absente præsentes cæli genij occupatas tuentur urbes, excubias pro mœnibus agunt, repentinos hostiū insultus depellunt; verbo: orbis suffragio Augusta Austriadum Sceptra rebellibus tentare signis, est velle Jovis solium movere cælo. Fulmen è cælo provocat, & suæ vicinus est ruinæ, qui illud impetit. DEO pro Austria stante nihil Austriaci hactenus timuêre, formidantibus omnibus, quibus non amati; quorum hostiles machinæ, & consilia hucúsque solis votis stabant onusta, ut steriles arbores solent, quæ folia proferunt, fructu carent, versantur in herba diu, ac tandem uno sole decoquuntur. Vanæ scilicet sine viribus iræ, cassúmque fulmen, quando hostesørociunt, cælo reluctante, & tuentis DEI dextera diademata curat. Ut cos chalybem acuit: sic gloriæ aciem intendit sæpiùs versa volubilis Fortunæ rota, quæ fidem æquè frangere, ac dare prompta, per ipsa, quæ instruit fulcra, sæpe hostium ruinam parat, præcipuè; cùm cælorum lege sancitum sit: ut ad propriam ruinam festinato perveniant: qui impotentes gradiuntut ad alienam.

Sapientis proinde hæc nota Principis: non semper ire uno gradu, sed una via: nec se in aliquibus mutare, sed potiùs longanimi tolerantia aptare: nec pericula metu, nec calamitates luctu dignari: atquè infra se omnia, æmula cæli facie despicere. Nubili, & sereni vices inferior mundus patitur: incumbens desuper cælum nunquam mutatur. Hinc Mantuani Vatis monitum, *Tu ne cede malis.* Multos citiùs in portum tempestas devexit, quàm malatia. Inermis arenam fugit calamitas; in qua Longaminis patientia agonem parat. *Fortes enim, ac strenui contra Fortunam insistunt spei, timidi, ac ignavi ad desperationem formidine properant.* (f) Unde lamentis, aut lachrymis calamitatis æstum temperare Majestatis vultum dedecet: nec his fata placari solent; sed sæpiùs irritari, ut ex aspersa flammis unda magis ardet ignis. Ita Imperator etiam Imperio exutus: *placidus ore, intrepidus verbis, intempestivas suorum lachrymas coarguit.* (g) vel hoc solo invictissimus: quod hanc, quæ tot invictos vicit, adversam sortem Heros pede calcando fregerit. Excelsi namque scopus est animi, non gemitu; sed factis Heroicis diuturnæ calamitati metas ponere, quibus sæpe evadit gratum, quod fuit invisum, & longa experientia facit acceptum, quod imaginatio descripsit formidandum. Accidit nimirum etiam nonnunquam viris, quod tenellæ ætati assolet, quæ quibus assueverit, cum quibus ludit, si personatos videt, expavescit. (h) Ast falli nequit, cui lon-

ganimis virtus domestica est; hæc non hominibus tantùm, sed & rebus larvam detrahit, vidétque nudatum effrontis Fortunæ vultum, dum nîl in ea timendnm reperit præter ipsum timorem.

Unde natus Politicorum aphorismus: *Ferendum, non culpandum, quod evitari non potest.* Nam ut nullum violentum est diuturnum; brevísque hora tempestatem abstergit, quæ in terram trisulca vibrabat fulmina: sic nullus minùs formidandus malorum furor, quàm qui impetu fertur. *Repentinæ enim irruptiones hostium vim omnem in impetu habent, eorúmq; si non figitur mucro, retunditur.* (i) *Nam nondum me fefellit, canem timidum latrare vehementiùs, quàm mordere.* (k) Et quamvis nihil tam firmum, cui etiam ab invalido non sit periculum: tamen ut *magnæ arbores diu crescunt, & sæpe una hora extirpantur.* (l) Sic magna hostium molimina non raró aggressu ipso terminantur. Verbo: Nulla adeò intractabilis calamitas est, cui suum manubrium non sit, quo tandem capi, teneri, ac vinci possit. Neque semper virium contentione res conficitur: est interdum ubi cedendo, atq; obsecundando altiùs assurgatur. Expertus dux Albanus ab exilio ad Lusitani belli administrationem revocatus; hic dum enixè peteret: ut sibi liceret in itinere Regem adire, dextrámque ejus osculari; veniæ adhuc ambiguus non impetravit. Tantùm homini Rex tribuebat, ut crederet posse & illum gratiæ incertum, & se fidei securum esse; cujus obsequij id meruisse præmium visus est: ut in summa regis gratia, inq; ejus Regia, ad pedes inter amplexus ejusdem expiràret, bellóque ex animi sententia confecto inter victoriæ plausus suo in Triumpho conderetur. (m) Sorti proinde, cui reniti non potes molliter ad tempus obsequendum regio Philippi monito: *Ego, & tempus contra Duos.* Tempus victores probat; qui Antæus est, vires colligit, etiam dum cadit. Nec in ipsa clade prostratus miles Laureæ jacturam fecit, cujus animus ingens victoriarum seminarium non est subactus; Hoc solo superstite necdum periêre instrumenta gloriæ. Sæpe qui victi recesserant à primo conflictu, victoriam retulêre secundo.

Hoc eodem longanimis tolerantiæ stratagemate vicisti Magne Cæsar LEOPOLDE virtute, & victoriarum prodigijs famam. Longanimitate factus Longimanus,; quem pluribus annorum centurijs Mars emetiri non poterat Centimanus. Tu varijs adversitatum arctatus angustijs Orientem, & Occidentem uno velut stringis amplexu, major hucúsque futurus, si orbis major fuisset. Sub Te namque curvantur, qui portant orbem; viginti & ampliùs prælijs victor, Fortunam duxisse videris, non secutus; & fata ad arbitrium ferro, & armis compulisse, ipsámque Martis Fortunam *Consilio*, & *Industriâ* superâsse. Legent cum tempore seri Nepotes: mirabuntur invidæ sæculorum ætates: Te paucorum annorum impendio, Longanimi tamen adversitatum Tolerantiâ multarum ætatum compendia retulisse; victoriarum cumulis non tam calamum, quàm plurium scriptorum memoriam fatigâsse; qui si tacuerint, lapides loquentur, sub quibus hoc ævo stellarum numero, Ecclesiæ natos, non impares suscitâsti filios Abrahæ, qui aliquando Beatorum relati inter sidera, Filio Tuo accrescenti JOSEPHO lacteam exhibebunt paternarum victoriarum semitam; quam dum æquis Regiarum virtutum emensus passibus, in plurium Regnorum purpuram natus Porphyrogenitus, testes paternæ appellare poterit Lumina gloriæ, quod etiamnum, ut olim Theodosio, totus Sibi militet æther, & conjurati veniant in classica DIVI.

(a) Seneca. (b) Idem. (c) Idem. (d) Lamorm. in vita Ferd. (e) Fam. strad. Dec. 2. (f) Chok. (g) Tacit. (h) Seneca. (i) Fam. strad. (k) Curt. l. 8. (l) Idem l. 7. (m) Strada Decad. 1. l. 7.


GIGAN-

GIGANTEA VIS ANIMI, SEU INVICTA LEOPOLDI CÆSARIS LONGANIMITAS.

DAnt Aquilæ pennas, quêis Te, LEOPOLDE, volanti
Perſtringam veluti calamo; déque hoſte cruorem
In tua manantem præconia pronus adopto.
Bellis preſſa diu jam felix AUSTRIA ſurge,
Cûi datur invictâ LEOPOLDI ſtare ſub umbra;
Cûi victrici iterum datur aurea plectra movere.
Candeſcente nitent Inſignia veſtra pagellâ
AUSTRIACI! Felix, quem juſſit ſcribere in illa;
(Quæ juncta eſt Domui veſtræ) Sors aurea firmo
Fœdere. Margo nitet Tyrium ſimulante colore;
Charta decora mihi eſt, quæ ſic maceratur ab hoſte.
Cantantes igitur revehant ad ſidera Alaudæ,
Quæ Tua Longanimis Virtus, O maxime Cæſar!
Ipſis attonitis, multúmque ſtupentibus Aſtris
Exhibuit. Quando bellorum nube Tyrannis
Lunigera AUSTRIADUM placidas vitiaverat oras,
Eque ſuis campis timidas pellebat Alaudas.
Errantes, fatuóſque diu ſine viribus ignes,
Quáſque minas genuit Fraus adſtetricante Furore;
Disjectis procul hinc tenebris hebetaverat unus,
(Quem jam victorem geminus deprædicat orbis)
Longanimos Cæſar ſtringens in monſtra lacertos.
Preſſa diu exſolvit ſeſe, rupítque catenas
Pannonia. Haud vobis ultro (ſpem ponite Turcæ)
Serviet. Immani tenuiſtis compede preſſam;
Immani vinctam LEOPOLDUS compede ſolvit.
Qualis ubi Andromedam Perſeûs materna gementem
Crimina, & ad duras fabricatam in littore cautes
Exſolvit miſerans Victor, ſociámque reduxit.
Sic tua Longanimis Virtus, LEOPOLDE, triumphat;
Sic ſuperos, hominéſque rapit, ſic Regna maritat;
Sic Paphio veluti phyltro, ceu compede longâ,
In famulos ſtringit nexus, disjectáque Regna
Jungit, & unanimes æterna in fœdera cogit;
Sic Geticas gentes, & vix de nomine notas
Vis Tua longanimis, poſitâ feritate, trahebat;
Ut priùs indomitæ, cicures jam Nomen adorent
Auguſtum, ac poplite affuſo Tua juſſa faceſſant.
Hæc Tua longanimis probitas immania adæquat
Brachia torrentis, qui magnas alluit urbes,
Qui centum populos, qui Euxinum flumine Pontum
Bis terno irrumpit, gelidos dum potat alumnos
Illyricis Regnator aquis: quin paſſibus amplis

Exſuperat: Numénque Tuas metitur ituras
Plus ultra longâ palmas virtute paratas.
Una hæc longanimis Pietas adverſa ſubire
Te docilem erudijt; ſola hæc animavit anhelum,
Et palmam feſſæ longa ob certamina dextræ
Inſeruit. Sola hæc tacitè fodicabat in aurem:
Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.
Continuos, LEOPOLDE, Tuos ex hoſte Triumphos,
Quos longâ ſerie memoras, mirabitur omnis
Poſteritas; ſed nulla parem Tibi ſæcla videbunt,
Vis animi cui tanta foret. Licet ipſa trophæa
Poplitibus flexis Othomanica Porta miniſtret,
Occiduos tamen haud poterit vis ulla triumphos
Siſtere, cui juncta eſt Virtus, cui militat æther,
Cui conjurati veniunt in prælia Divi.
Tempora dum recolo, quêis æmula ſceptra fatigas;
Si bene fors memini, cantatur fabula de Te:
Da veniam verbis; quantùm mutatus ab illo es!
Erravi; culpam fateor, ſed parce canenti:
Unus eras, idémque manes, ceu dulcia ſpirent
Flamina, ceu Boreas inimica volumina tentet.
Unus eras ſemper; non Tu, Fortuna novatur.
Dicere num poterit de Te LEOPOLDE vetuſtas?
Multa tulit, fecítque. Id dixit, & ampliùs orbis
Audiet immenſo magnalia clara Gradivo.
Alternâ fatis inimicis conjuge raptâ,
Quod Tibi tum nemo audebat promittere Divûm;
Illud longanimis Virtus, en, attulit ultro.
Attulit Auguſto Neoburgi Stemmate Natam,
Attulit Auguſtâ Leonoram prole beatam,
Attulit & plures clarâ cum Conjuge Natos:
Qui ſic Cæſaream ſtipant longo ordine menſam,
Sic cingunt, útque ore uno Matrisque, Patrisque
Auguſtis ſimiles contendant reddere vultus:
Longanimémque unà Patris jam voce loquantur
Virtutem viridi Parnaſſi vellere claram.
Longanimis mens, credo, parem Te fecit Olympo,
Vertice qui ſuperat nubes, quem nulla laceſſit
Ignea quantumvis rabies, inimicáque terris
Ingruat, & nimbis validis, & grandine feſſa
Tempeſtas: Unus bella horrida, ſæva perîcla
Longanimi virtute Tuâ ceu ſole micante,
Diſpulſis tenebris, victrici luce ſerenas.
Ad nomen, LEOPOLDE, Tuum, quod Fama pavore
Buccinat, inſolitò Tellus tremefacta per orbem
Concidit, & triſti Te murmure victa veretur.
Sic orbis titubat; ſic ſceptra inimica paveſcunt,
Quando laceſſitur nimiùm Jovis Armiger Ales,
Quando Aquilæ Imperij juſtiſſima prælia cogunt.

ÆQUA-


QUO IUSSERIT IBO

ÆQUANIMITAS.

Sors nulla Auſtriacum nec blanda, nec aſpera mutat;
Accipit hanc vultu lætus utrámque pari.
Exemplum FERNANDUS *adeſt. En Regia ſponte*
(Si Cælo placeat) ponere ſceptra cupit.
Sed promptam Auſtriadum non miror ad ardua mentem:
AUSTRI-ACUS *debet, quò Polus ire jubet.*



Auguſtum ſpectatæ virtutis Theatrum ſunt aulæ Principum, in quibus non raró in lucem dedit Heroum ſpectacula; qui nunquam ſibi ſimilis, quàm, dum Vertumnum indutus frontem exuit Fortunæ ludus; nunquam magìs ſerius, quàm dum fabulam ludit. Et licet ſubinde conditionem mutet, non tamen animum exuit; malignantis naturæ eſt; hanc nunquam non prodit. Dum, quæ primo cum lacte hauſit venena fraudium, non niſi in magnos animos evomit. *Fortiſſimos ſibi pares quærit, quoſdam faſtidio tranſit, contumaciſſimum quemquè, & rectiſſimum aggreditur, adverſus quem vim ſuam intendat.* (a)

Nequè omnis dat ſcena plauſum, epinicia cantantur, & epicedia, pœana leſſus excipit. Habet enim hoc intemperãtis fortunæ æſtus: nimio ſui uſu interire; & quamvìs excellenti bono agnatâ indole terræ oſtenditur, non obſtringitur. Vix ulla ingentis boni longa eſt poſſeſſio. Scilicet ut nimia malacia tempeſtatis eſt prodroma, ſerenior cæli oculus in lachrymas eſt pronior: ſic ſummis negatum ſtare diu. Nam *res* etiam *ſecundæ acrioribus ſtimulis animum explorant.* (b) Et adeò validè *ſapientum* quoque *animos fatigant*: (c) ut haud paulò faciliùs ſit ex adverſa emergere fortuna, quàm conſervare ſemet in proſpera, Romani Catonis monito: *Noli huic tranquillitati confidere: momento enim mare evertitur, & eodem die, ubi luſerant navigia, ſorbentur.* (d)

Et quamvìs ſummorum hæc maxima Principum, quæ ſapientum: levis comici perſonam non induunt: malunt eſſe ſpectatores, quàm actores fabulæ. Quòd ſi tamen *DEUS*, *bonorum amantiſſimus*, *quos optimos, atq; excellentiſſimos eſſe vult, fortunam, cum qua exerceantur, aſſignat*; (e) variéque illos Fortuna induat: Regiæ nil minùs mentes hâc arte Perſonam ſuſtinent: ut non tam veſtem, quàm animum cælo concolorem in omni ſcena præbeant; ſemper illic ſerenum eſt. Et licet integram ærumnarum tempeſtatem injuriæ effundant temporum; cum grandine tamen non niſi ima, quæ feriunt, onerant; Olympum ne tangunt quidem, vix magnum animum: cui ubi cætera ſuam mortem ſecum deferunt, hoc inter mortalia immortale accidit: Omnibus ſtat major caſibus malorum Rector, bonorum Victor, cui ipſa calamitas virtutis eſt occaſio.

Viro ſiquidem bono nihil mali poteſt accidere; miſer dici, non eſſe poteſt. Stat rectus ſub quolibet pondere, & nulla res illum minorem facit: non metu frangitur, non poteſtate mutatur, non extollitur proſperis, nec mergitur triſtibus. Nunquam in alia

fortuna alius; qui ubicunque eſt, ſuus eſt. Rebus non ſe tradit, ſed commodat, illíſque tanquam depoſitis utitur, & abituris. Magni illius Auſtriacæ gloriæ Sideris Ferdinandi Secundi exemplo: Hic nunquam magis, quàm dum fortunis credebatur ſpoliandus omnibus, de Fortuna triumphavit, cui libenter ceſſit, quidquid illa rapere potuit; imò ne rapere poſſet, ultro majori virtutis robore in manus illius, à quo omnis poteſtas in Principes dimanat, projecit Imperij pomum, quàm hoſtium avidus livor, & invidia rapere potuiſſet. Nam cùm probè nôſſet: callidis hoſtium machinis novas indies coronis ſuis inſidias ſtrui, nil motus animo, *Tantíne*, inquit, *eſt diadema? Ego verò, ſi quem DEVS meliorem Imperio decrevit præficere, paratus ſum ſpontè ſceptrum manu, diadema capite deponere.* (f) O vocem auream Magni Cæſaris! vocem Auſtriaco dignam Principe! Hæc nempe Regiæ libella indolis; æquam in arduis ſervare mentem, ibíque extolli, ubi omnes deprimuntur: ibi ſtare, ubi omnes jacent.

Regium hoc ipſum reor
Adverſa capere, quóq; ſit dubius magis
Status, & cadentis Imperii moles labat:
Hoc ſtare certo preſsiùs fortem gradu. (g)

Nam ut plebeiæ, aut levis eſt nota mentis, quolibet eventuum pondere in ima rapi: *magnum, DEOq; vicinum eſt non concuti,* (h) nec ſe alium in alia fortuna præbere. *Hanc ſtabilem animi ſedem voco,* (i) qui quaſi ſtella in orbe fixa fulgeat; quæ, licet orbis in gyrum agat, ipſo tamen in motu ſtat immota. Sanè non hilariorem quiſquam, non triſtiorem Socratem vidit: æqualis ſemper in tanta inæqualitate fortunæ. Nequè Regulo fortuna nocuit, quod illum documentum fidei, documentum patientiæ fecit. Figunt cutem clavi, & quacunque fatigatum corpus reclinavit, vulneri incumbit, & in perpetuam vigiliam ſuſpenſa ſunt lumina. At quantò plùs tormenti, tantò plùs erit gloriæ. Vis ſcire, quàm non pœniteat, hoc pretio æſtimâſſe virtutem? refice tu illum, & mitte in ſenatum; eandem ſententiam dicet. Adeò nunquam molle virtutis documentum eſt, & vix magnum exemplum, niſi mala Fortuna, invenit. Proſpera ſiquidem in plebem, ac vilia etiam ingenia deveniunt. Avida eſt periculi virtus, & quò tendat, non quid paſſura ſit, cogitat: quoniam, & quod paſſum eſt, gloriæ pars eſt.

Ad hoc proinde *ſacramentum adacti ſumus: ferre mortalia, nec perturbari his, quæ noſtræ poteſtatis non ſunt.* (k) Nihil privatim, nihil publicè flebile eſt. Acerbitatibus enim, & ærumnis cedere, eſt ad earum partes accedere; quin imò quod in humani corporis compage qualitatum temperamentum, hoc in unitis Regnorum, & Provinciarum membris eſt ad pondus rationis in qualibet fortuna compoſitus Principis animus. Illius perturbatio imminentis morbi eſt prodroma; hujus confuſio mortem Imperij præſagit. Perturbatio enim, & confuſio rerum omnium oritur, quoties è facie Principis, tanquam ex illa cæli, proſpicere licet tempeſtates, quæ impendent Reipublicæ.

Hinc ſi quem candidæ ſortis pullum blandioris cæli, & naturæ favor ad purpuram, & coronas in lucem edidit: Solis ad inſtar fulgeat neceſſe eſt. *Solis vis integra eſt, etiam inter oppoſita, non eſt ſereno minor, nec tardior quidem in opere eſt, curſu ſuo fertur,* (l) & quoſvis inter ventos ſemper idem. Nam ut frequentia malorum impatientis animi deliquia ruinam Imperij portendunt: ſic æqualis in omni fortunæ caſu Principis vultus ſubditos erigit, quin & hoſtes in admirationem rapit. Ita nimirum hæſit attonitus Victor Hannibalis gladius, aciémque plùs nimiùm audentis furoris ad Romanam hebetavit conſtantiam, quæ ſibi tunc maximè conſtitit, dum etiam

vitæ

vitæ ſpes vacillavit: adeò virtus, quam nequè metus ſtringit, nec caſus proſternit, etiam in hoſte venerationi eſt. At verò ubi cum vultu Principis animus pro varia fortuna fluctuat; arundo Regnorum eſt felicitas, tranquilla nunquam, inquieta ſemper. Subditorum enim affectum vultus Principis exprimit. Hoc ſolo turbato, ut in eclypſi Solis aſſolet, turbatur orbis. Ita Othonis vultum intuebantur, quotquot cum eo convivio accumbebant: *utq; evenit inclinatis ad ſuſpicionem mentibus, cùm timeret Otho, timebatur:* (m) haud ſecus, ac dum ex Naucleri oculis ij, qui in eadem navi, ſunt, colligunt, num tempeſtas grandis ſit.

Hinc Tiberius triſtiſſima quæquè occultare laborabat Maronis monito: *ſpem vultus ſimulat, premit altum corde dolorem.* Ferreum nimirum indutus animum vitreæ Fortunæ inſultus dum fregit, riſit. *Miſer eſt, qui ſe non beatiſſimum judicat, licet mundo imperet.* (n) Unde ſummarum hæc dos, & cos eſt mentium: poſſe læto animo adverſa tolerare, & quidquid tibi acciderit, ſic ferre, quaſi tibi volueris accidere. (o) Sanè nemo Principum hoc ſolo beatus vivit; quòd ſupra cæteros emineat; nemo enim hucuſquè ſub tam benigna ſideratione primam vitæ lucem eſt auſpicatus, cujus horoſcopum ſiniſtrum aliquod aſtrum non attemperâſſet. Gravia ſunt Cæſarum diademata, in quibus curæ, bella, & metus nidificant: atquè ut ſummi montes tempeſtatibus ſubjacent; ſic magna regna magnas turbas patiuntur, ſæpéque dum hoſtes foris deſunt, naſcuntur domi: ferrúmque quandoq; timendum eſt Principi, quo latus tegitur, & ipſa timoris arma ſunt formidanda.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celſæ graviore lapſu
Decidunt turres, feriúntq; ſummos
Fulmina montes. (p)

Expertus id expreſſit magnus Hiſpaniarum Monarcha Philippus; qui dum Albani morte, & multis quæ in ea rerum felicitate obvenêre funeribus, indoleret, auditus eſt, cùm diceret: nunquam ſe meliùs expertum rerum humanarum vices; quòd videlicet, quo tempore tot regnis augebatur, tunc & Primogenito regnorum Hærede, & Regia Conjuge, & ſummo, fidóque militiæ duce orbaretur. Quinimò Otho Imperator dicere ſolebat: *Neſcitis amici, quid ſit Romanum gubernare Imperium: mihi credite jam experto, qui jam mori malo, quàm imperare.* Non enim ſemper eadem ſunt incrementa honoris, & felicitatis, ſæpe dum ille influit, iſta effluit, & ſub magni nominis umbra negatur quies. Neque aliter Regum quies, quàm maris tranquillitas, momento turbatur. Quos alia ex alijs cura fatigat, vexat animos nova tempeſtas, *& ubi tranquilla videntur omnia, non deſunt nocitura, ſed quieſcunt.* Charybdim credideris, aut voraginem, quæ lentè de gyro in gyrum tranſmittit navigium, donec ad centrum reductum omnia abſorbeat. Hinc grandis Imperij oneraria Ulyſſem navarchum expetit, cujus virtutis robur nec blandam induta Sirenem molli obſequio frangat felicitas, nec in furentem Scyllam degenerans latratu ſuo terreat adverſitas: Qui ibi etiam novit firmam figere votorum anchoram, ubi portentoſa ſummorum ſpes non rarò naufraga de littore deſperavit. Imperatoris enim quodlibet tempus virtutis eſt occaſio. Æſtus, & malacia Navarchi, proſpera, & adverſa fortuna Imperatoris experimentum extorquent. Ipſa nimirum humana omnia in orbem eunt, verſántque lubricam Fortunæ rotam: ut par ille Superum animis, qui tot inter fatorum vices ſtet immotus. Humano quippe majus aliquid inter humana nil humani pati. Prodigio affine eſt, lubricæ ſortis ſubjectum aleæ, nunquam tamen imparem

 virtu-

virtutis numerum referre; atquè ubi communi fato rotantur ſingula, rationis orbitam non excedere: & quamvìs Majeſtas regna ſubijciat, & imperia, vel giganteæ molis Mars pedibus ſubſternat cadavera; tamen gloriâ non efferri, nec innumeris Victorem prælijs â ſe ipſo unquam vinci, ipsíque Victoriæ nobilem in partem cedere triumphi.

Sanè adeò portento non abſimile, magnam nôſſe æquo animo ferre Fortunam; ut hæc non minima ſummæ felicitatis portio ſit, felicitatis ſenſu non tangi, ac illa minùs uti, quàm poſſis, atquè inter tot ancillantis ſortis obſequia incautam nimiùm mortalitatem à felicitate non vinci. Inſolenti enim ſorte impotens ſui animus quò altiùs aſſurgit, graviori lapſu concidit, infelix Phaëtontis æmulus non ſemel infami buſto incendit orbem. Teſtatur hoc propudioſum naturæ humanæ monſtrum, Romani ſitiens ſanguinis hyenna Nero; cujus intemperans felicitatis æſtus faſtu, & quidlibet audendi libidine ſufflammantibus, Romana incendit Pergama; dignus, qui Romani Populi inter cineres crudelitate infamem animam tumularet. Ut meritò felicem dixeris in tanta inæqualitate fortunæ æqualem ſemper animum, qui nequè proſpero rerum ſtatu trahitur, neque earum ventis reflantibus retrahitur, & licet à diverſis, & adverſis agitetur, eundem animum, mentémque eandem in diverſo tempore, & ſtatu gerit: dignus ejuſmodi aureo Sigiſmundi Cæſaris calculo, qui ad Auguſta Cæſarum ſubſellia ſublimetur. Hos nempe Imperio cenſuit aptiſſimos, qui neque ſecundis rebus inſoleſcunt, neque adverſis franguntur.

Argutè proinde Argus notavit orbis: Auſtria Erit In Orbe Ultima: non quòd ærumnas abijciat, ſed æquanimiter ferat; quinimò roſarum indole felicitatem ſuam à ſpinis auſpicatur. Nam poſtquam res adverſas ſuæ facit virtutis materiam, convertit in proſperas: atquè ut inter urticas ſolet diutiùs ſuam ſervare purpuram Regina florum: ſic Auſtriaca trophæis inclyta nutrit patientia palmas. Multos ſiquidem adverſitas perdidit, hanc ſervavit; quam ſubiti caſus tangunt, non tamen lædunt. Ferendo adverſa evadit ſublimior, quàm alij agendo proſpera.

Nequè opus eſt exempla à longinquo petere, quibus virtus domeſtica eſt. Ecce ſpectaculum dignum, ad quod reſpiciat intentus operi ſuo DEUS, Principem Auſtriacum cum mala fortuna compoſitum, potentiſſimum orbis Monarcham, Magnum Cæſarem LEOPOLDUM Primùm: Hic nempe pacificus licet, vix unquam tamen pacem, aut quietem habuit; niſi dum bonæ cauſæ glorioſè inſiſtens, Majorum exemplo, ſpei anchoram in cælo firmavit, eâ quidem felicitate; ut dum Sol unus ſpectando illius victorias non raro defeciſſet, optârit orbis; ut Gedeon aliquis attonitum in cælo ſtare, Ezechias iteratò redire imperaret; ut videant hoſtes multum referre, cui belles, & *quo animo*. Palmæ enim & cauſam ſequuntur, & ducem. Secura victoriæ præſumptio eſt pro DEO bellum ſuſcepiſſe: cui enim bellorum cauſa eſt DEUS, eſt & comes bellorum. Expertæ hoc per orbem canunt felices Auſtriadum Alaudæ, quæ paucorum annorum luſtro Romanis immixtæ Aquilis in Orientem, & Occidentem Tua Magne Cæſar extulere labara, & jam propè plura in terris Tua Regna numerant, quàm Sol in cælo domos.

(*a*) Senec. (*b*) Tacit. (*c*) Saluſt. (*d*) Senec. (*e*) Idem. (*f*) Lamorm. in vita. (*g*) Horat. (*h*) Senec. de Tranq. (*i*) Idem. (*k*) Idem. (*l*) Idem. (*m*) Tacit. (*n*) Senec. (*o*) Idem. (*p*) Horat. (*q*) Seneca.

ÆQUA-

ÆQUANIMITAS LEOPOLDI AUGUSTI.

FAvistis Superi! Requies divina medullas
Sedit in humanas, & terras induit æther.
Da Divum, LEOPOLDE, decus, da immobilis arrha
Cæli inconcussum procul aspirâsse serenum,
Rivales potuere pati quo Numina terras,
Fata super, dentémque ævi, risúmque ferocis
Antij, & aggestis liventes cædibus annos.
Jam telum, gladiósque truces attollit in altum
Livor, & armatis ligat omnem fraudibus orbem
In clades, Auguste, Tuas, cinctúque Quirino
Proditor, & tragici miscent se Fascibus enses.
O nitor immitis trabeæ! si vindice lethum
Conditur, & fidæ possunt sævire Secures!
Quis tamen illisus inter, stragémque datura
Pila, quis Augustis pallentes mortibus aras,
Quàm placida Te mente vides? Non pulchrior altos
Phæbus agit currus, seu post Arctoa frementem
Classica purpureo Thaumantias excipit arcu,
Seu domita æthereas innectunt sidera lauros.
Nil Regum tumuli, nil Te placidissima tangunt
Funera, mærentésque tori, Carolíque serenum
Nomen, & avulsus viduis amplexibus Hæres.
Æqua Tibi semper Pietas, tranquilláque magni
Pax animi, qualémque decet de Numine nasci.
Nec Tua jam magno gemitu, mundíque superba
Fletibus in gelidos poscunt Te fata dolores.
Sed Tecum plagis jacuit communibus orbis.
Inter Tu solus fessi suspiria mundi,
Regnorúmque graves planctus, Austriíque ruinam
Sceptri nil, LEOPOLDE, gemis. Trepidâsse severos
Diîs geniti potuere rogos: timor ipse cadendi
Te juvat, & fesso surgit fiducia letho,
Erigis & lapsum pulchris hortatibus orbem:
Nos Cælo, non Sorte regi. Quas cessit habenas
Imperij, danti revocas; unóque Tonante
Dum minores, trabeas uni committis Olympo,
Et Tua, Regnantémque Deum Regnator adoras.
Assurgis, Tecúmque salus, permistáque fletu
Gaudia, & exanimi redijt sors mitior Austro.
Mars rursùm feralè tonat, commissáque magnæ
Regum signa Aquilæ, (pro cûi!) Germania discors,
Celtháque bellator frendet, quin barbarus Eos
Infremit, & dubij nutant fastigia mundi.
Quis tamen (O animos! ô Divûm æquantia pacem
Pectora! & infractæ plusquàm mortalibus iræ!)
Quàm Tuus es! Lapsis magnos è vultibus ignes,

Atquè aliquid cæleſte legis. Te vindice rurſum
Imbelles gliſcunt animi, viréſque labaſcunt
Hoſtibus, & pulſi redijt nitor aureus ævi.
Jámque fuit Fortuna minor, quo ſæviat, ultrò
Non habet, immenſas vocat in diſcrimina palmas
Cæſaris, aggeſtíſque parat viciſſe triumphis.
Quis vincis, LEOPOLDE! Suos victoria neſcit,
Confundítque gradus; nec tam quid vincere poſſit,
Quàm viciſſe, videt. Bellatrix Auſtria quò ſe
Vertit, adornari trabeas, concurrere lauros
Adſpicimus: jam regna ruunt; & vindice ferro
Ad freta Cæſareos cantat Bellona triumphos.
Mox leget Euxinum ſceptris: jam littore nigro
Mars pugnat. Vade ô celeri Victoria greſſu,
Sudantéſque tua lauru deterge ſariſſas.
Quanta venit! quæ Regna ſuis, quæ vincta catenis
Oppida, adorantes galeas, & Regia fulvis
Signa jubis ſacris ſternit famulantia plantis.
Ille diu Victor Biſton, qui præfuit orbi,
Qui trabeas, & ſceptra dabat; jam murice prono
Accidit, & tantùm potuit regnare rogando.
Vince, precor, ſupráque nihil, niſi ſidera linque!
Sed non Te, geminis quamvìs Tibi Faſcibus orbis,
Nec ſimplex ſuccumbat ebur, non mille triumphis
Ara ſatur, veterum potuit quæ temnere lauros,
Et cælo diviſus Honor regalè ſedentem
E recti ſtatione movent: non ſerpere Divo
Vertice, victricem non auſa inſcendere dextram
Laurea, ſed ſacras allambit ſupplice plantas
Fronde: verecundo circùm ſtat fulgure Thracum
Fama triumphatrix, nec tota extollere Ponti
Mole poteſt. Eadem Pietas, tranquilláque laudum
Temperies, dignúſque Deo nitor aureus oris,
Quæque beat feſſas Divûm Clementia Terras,
Atquè ſinus plenus Patris. Si priſca tuliſſent
Sæcula Te, Cæſar, ſtares jam gemmea circùm
Templa coronatis Æquum ſibi Numen in aris.
Non Arcus, non Templa ſubis, gemmantéque marmor
Sole laceſſitum. Latio minor iſte triumphus
Eſt Jove, quem ducat fractis haſtilibus Orbis.
Ipſe Tibi gemina Victor de Sorte trophæum
Cæſar eris: Lybici ſubter gemet ira Tyranni,
Celtháque, quíque ſuâ victi ſtant mole triumphi,
Cum plauſu Superûm, & Furijs ululantibus hoſti.
Hunc oculis, Hunc ſculpe animis, atquè imbibe totum
Flos Regum JOSEPHE, Patrem: ſic culmine rerum
Auſtria, & Auguſto radiabunt ſidere Faſces.

MA-


RENOVAT SPLENDORIBUS ORBEM.
W. Schupert von Ehrenberg ad vivum delineavit.

MAGNIFICENTIA.

Aſpice, poſt Scythicos arx undiquè pulchrior ignes
Dignum Magnifico Cæſare ſurgit opus.
Nempe bonus certat Princeps cum ſole, quòd orbem
Curet, & hic ſtudijs ornet, ut ille ſuis.
AUSTRIADUM vellent homines ſi facta ſilere;
Quanti ſint, poterunt ſaxa vel ipſa loqui.



Agnos ſi magna decent, Magnificentia ſic Regum cuivis eſt propria; ut omnino omnibus ſit communis: & quam toparchæ non niſi raram hoſpitem habere nôrunt; Monarchis eſſe ſolet familiaris, ac domeſtica. Quos enim regnorum copioſis proventibus, opúmque majeſtate locupletavit Fortuna; ſi pari, quo acceperunt, expendant profluvio; quod alijs aliàs faſtûs, aut luxûs notam inureret, hoc ijs plurimum fulgoris affert, ac gloriæ. Equidem velut inter ignes Luna minores ab argentei luminis quaquà diffuſi plenitudine ſe regiam in cælo oſtentat: ſic Regiæ dignitatis eminentia præ cæteris provinciarum toparchis magni fit; dum magna facit magnificis ſumptibus ad regni ſplendidum decorem Monarcha. Scilicet vel ipſi lapides loquuntur, & vaſta lapidum in pyramidem aſſurgentium moles, regalis in Ægypto Magnificentiæ hiſtoria, magnificæ cæterorum per orbem Regum virtutis ſymbolum, atteſtatur; quid regiam majeſtatem deceat, quid ad regni conferat ſplendorem.

Certè cùm Ludovicus XI. Galliarum Rex adeò neglectis uteretur veſtibus; ut eum neque pilei ornamentum aliud, præterquàm imago plumbea, ab aulica nobilitate diſcerneret; excitatis utrinquè ludibrijs hanc tenuitatem irriſere Hiſpani, & conſtans uſquè ad illa tempora utrique Coronæ amicitia cæpit elangueſcere. Velut malè cohæreret initum cum eo fœdus, quem ab externo cultu ſibi imparem exiſtimabat Hiſpana magnitudo. (a) Nobilitas quippe rei ex Magnificentia æſtimatur: & ſplendidam opinionem ab animo extorquet, quod cum ſplendore per externos ſenſus illabitur. Rex eſt, qui inviſibili quodam poteſtatis charactere ſupremum in ſubditos obtinet imperium, atquè imperandi jure cunctos antecellit: nihilominùs hanc internæ dignitatis eminentiam exterior pompa, geſtatum manu ſceptrum, impoſita vertici corona, injectum humeris paludamentum, ſubſtrata provinciarum inſignia exornant, & exornando adgeniculaturam totius regni alliciũt reverentiam in obſequium devotionis. Unde ſapienter mihi viſi ſunt Theodoſius, Arcadius, Honorius Orientis Imperatores lege latâ ſtatuiſſe: ne quis alius purpuram geſtaret; ut proprius ſupremæ Majeſtati ornatus eſſet, quo fieret conſpicua. (b) *Delectant enim, & cum delectatione ſpontaneum honorem conciliant Magnifici apparatus, vitaq; cultus cum elegantia.* Econtra verò, dum nimia ſervatur humilitas, regnandi frangitur authoritas. Scio quidem Rudolphum, Primum ex Auguſtiſſima Domo Auſtriaca Imperatorem, eo ipſo temporis articulo in vulgari pennula, & detrita veſte aggeſtum ex armis Solium conſcendiſſe,

cùm Ottocarus Boëmorum Rex purpurâ, gemmísque superbus ad fidelitatis juramentum aderat; (d) sed fortitudinis tunc triumphus erat, non ornatûs: & alius est, qui domi Cæsarem, alius, qui militiæ Imperatorem pompæ apparatus decet. *Aptum est nempe omne bonum locis suis, & quæ, nisi congruâ sede potirentur, sordescerent, laudabilia fiunt.* (e)

Rex gloriosus in purpura, aureóque vestimenti fulgore inclytam stipendiariam copioso numero ab obsequijs alat aulam, quod alterum est magnificæ virtutis opus. Id enim, si Alexandri Macedonis educatori credimus, *Magnificentiam dicimus; quod æquo sumptu rem administrabit splendidiùs.* (f) Porrò sumptus (ut idem pergit) in genere probantur maximè, quos honorabiles censemus. Primus est Regum honor, ab ipsa nobilitate, eáque frequentissimâ honorari: nam quid magis ad splendorem facit, quid ad venerationem, quàm si dignus nobilissimo ministerio Princeps dignos circa corpus habeat se Principe ministros? Deus, ut præcelsam suam authoritatem commendando condignam pariter, atquè æquissimam ab humano genere reverentiam obtineret; apparet igneo sublimis in throno, nivei vestimenti candore, fulminei fluminis in vultu circumerrantibus flammis tremendus, &, quod caput est, Angelicæ Dominationes, cælestésque Principatus sic suos distribuuntur in ordines; ut millia millium ministrarent, & decies millies centena millia assisterent gubernanti. (g) Quòd si igitur supremi Numinis Majestas in Regibus per spiritum, quem ab ipso habent, principalem, velut Patris in filio lineamenta relucet; ut eos meritò etiam ethnicus Poëta *animatam Dei imaginem* dixerit: (h) oportebit pariter illam hierarchici ministerij pompam in magnifico aulicorum obsequio æmulari. Equidem Proceres, selectissima provinciarum portio, dum venerantur; venerationem augent, &, ut Regiæ dignitatis existimationi consulunt præsentiâ suâ, sic cultum promovent exemplo. Quæ causa fuit, tum ut Persæ, Indi, Ægyptiíque Reges, quô ijs plurima apud suos authoritas accresceret, non nisi maximo primæ nobilitatis apparatu stipati in publicum prodirent: (i) tum ut Solymannus in rebellem filium Bajazetem moturus nollet sibi Bosphorum traijcienti Regium Ferdinandi I. legatum adesse; quòd, majore copiarum parte præmissâ, paucorum legionum bellìducibus cingeretur, metueréteque (k) ex ea comitatûs tenuitate minorem apud exteros venerationem, seu, ut barbarè loquar, terrorem. Sed quæ in omni Oriente domestica est, peregrina non est apud nos, etiam in occasu ultimo confluens ad regium famulatum nobilissima multitudo. Aderat in Regia Alphonsi VIII. (m) ab obsequijs Dynastarum Principúmque ille numerus, quem Ludovicus Galliarum Rex per ea tempora Toleti hospes admiratus, asseveravit: nulli in mundo Regum parem tum aulam fuisse. Addere simul potuit: nulli tum Regum parem fuisse majestatem: quippe qui ab ipso summo Pontifice Hispaniarum Imperator diceretur, coleretur à Gallis. Sit ergo sacra domi foríque Regum dignitas, & quemadmodùm Sol minimè solus, quia siderum rex, serenioribus idcircò astris Mercurio, & Lucifero constanter cingitur; quemadmodùm eruditior ætas nostra Jovi, Saturnóque regionis, religionísque rectoribus suos adesse vidit in comitatu satellites non è grege fixarum, sed planetas: sic ætatis nostræ prudentior Politica regnorum supremos Rectores dirigat; ut sumptu non munifico, sed magnifico, nempe non nobilem, sed regium alant, quo cingantur, famulatum.

Est & ille receptus apud Reges Magnificentiæ locus; ut publico epularum apparatu convivas excipiant, benevolentiæ in suos liberali contestatione. Sic Cajus Julius Cæsarum primus post Lybicum triumphum in viginti ac duobus tricliniorum millibus Romano populo copiosas dapes apposuit, vel ad subditorum conciliandos, vel servandos in devotione animos. (n) Sic Regia Venetorum Respublica quatuor in annos singulos

gulos

gulos convivia Nobilitati exhibet: in festo D. Isidori, die Ascensionis Dominicæ, in Viti,& Modesti,ac deniquè in Stephani Protomartyris festivâ luce, vel ob solemnioris lætitiæ significationem insolitam. (o) Sic Alphonsus X., cùm nuptiali fœdere Ferdinandus de la Cerda, & Blanca S. Ludovici Gallorum regis filia jungerentur, Granatæ Regem, Eduardum Angliæ primogenitum, Philippum Delphinum Galliæ, Petrum, & Sanctium Infantes Arragoniæ, Emmanuelem,& Philippum fratres, Sanctium Petrum, & Joannem filios, rariorem deniquè cæterorum Principum coronam in palatio convivas habuit. Ad hæc prostabant in foris, & compitis mensæ lautitijs refertissimæ, patebántque populo tantâ succedentium eduliorum constantiâ; ut deficientibus qui acciperent adhuc essent, qui apponerent: vel ad Regis, regníque commendandam exteris famam, ac magnitudinem. Sic Assuerus fecit grande (100. videlicet & 80. dierum) convivium cunctis Principibus, fortissimis Persarum, Medorum inclytis,& Præfectis provinciarum: ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem potentiæ suæ. (p) Sed & Salomonis cibus erat in dies singulos 30. cori similæ, 60. cori farinæ, 100. boves pingues, 20. boves pascuales, & 100. arietes, exceptâ venatione cervorum, caprearum, bubalorum, & altilium. (q) Tanta porrò ciborum copia non ad ingluviem erat, sed pompam. *Ipse enim* (ut causam allegat sacer textus) *obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen à Thaphsa usq; ad Gozan, & habebat omnia regna à flumine terræ Phylistijm usq; ad terminum Ægypi.* (r) Ut nimirum quemadmodùm Israëlitici regni splendor ad summam magnitudiniem pertigerat: sic Israëlitici Regis gloria præter cæterorum majestatem etiam in regiæ mensæ magnificentia eluceret. *Nam Magnifici est, in quocunq; genere quid faciat, magnificè id, splendidéque facere.*

Cæterùm cùm in omni actione modus quidam sit, & certi fines, quos ultra citráque nequit consistere virtutis rectum: etiam ipsi Magnificentiæ suus erit, quo intra mediocritatis cancellos contineatur, modus ac medium. *Modus autem est optimus, decus ipsum tenere, nec progredi longiùs. Quod enim medium est moderationis, id bonum; quia quod majus est, quàm oporteat, id malum est.* Magnificentia igitur multa, erit nulla; quia desinit esse Magnificentia, quæ desinit in luxum: constátque, quàm verum sit illud paradoxum Pittaci dicentis: *dimidium plùs esse toto.* (s) Cùm proinde Rex privatus degit intra palatij fines, ne immodico utatur vestium ornatu: illud Severi Imperatoris recogitans: *Majestatem virtute constare, non corporis cultu.* (t) Cùm in publicum se se committit, aut publicè admittit alios, monitum Pulcheriæ, quod fratri Theodosio dederat, sequatur: *ut magnificus sit, & splendidus.* (u) Sic fiet, ut Magnificentia servetur semper, quia per intervalla. Cùm regni publica solennitas exegerit; ut magnificè, id est, regiè instruantur convivia, ornentur potiùs mensæ eduliorum copioso delectu, quàm onerentur, & sumptuum magnitudo exponatur, non prodigatur. Etenim *licet suus cuiquè sit modus, tamen magìs ostendit nimium, quàm parum*; (x) in magnificis præsertim mensis, ut accidit in prodiga, & prodigiosa Caligulæ gula, qui centies H S idest 416666. florenis uno die cænavit, (y) & triennij spatio viciès ter millies sestertiûm, seu ultra nonaginta quinque milliones, nempe 95833180. floren. Rhen. commessando abligurivit. (z) Procul ab aulis, & regnis similia monstra,& non ad Magnificentiam, sed usquè ad insaniam, non splendidi, sed infames tyranni: *Magnifici enim est, in sumptuum magnitudine servare decorum.* (aa)

Nequè verò ex hac parca magnificorum sumptuum profusione moderatione crebrâ quidquam de Regiæ Majestatis splendore decedere potest; nam si decidatur aliquid ex immenso regum luxu, nunquam deerunt pecuniæ in magnificentiam, & reliqua Majestatis ostentamenta. Tum verò plausibiliter hæc magnificentiæ virtus exerce-

ercetur, cùm, quæ privatæ ſubtrahuntur licentiæ, publicæ utilitati impendentur: *neque enim ſui causâ ſumptus facere ſolet magnificus, ſed Reipublicæ.* (bb) Pontibus proinde ſternantur flumina ſubditorum neceſſitati; commoditati inſtaurentur viæ publicæ, vallis muniantur urbes ſeveritati; utilitati aquarum ductus ædificentur: exercitationi Nobilium palæſtræ, ſplendori urbium palatia, feſtivis plauſibus theatra, incolarum conditioni Athenæa, omnium religioni templa exſtruantur. Trajanus certè, Cæſarum optimus jure dictus, licet privatis delicijs ædificaret parcè, publicè tamen magnificus fuit: hinc porticus, inde delubra, tot, ac tanta ubiquè ædificia, ut orbem terrarum ædificâſſe videretur. (cc) Et æquiſſima Octaviani Auguſti, poſtquàm Romani Imperij metropolim multis modis ornâſſet, ac communiſſet, fuit gloria dicentis: *Romam lateritiam accepi, marmoream relinquo.* (dd) *Nihil enim Principi eſt magnificentiùs, quàm ſi ditionem, quam accepit, reddat ſtatu meliorem.* Sed nequè ſapientiùs magnitudini ſuæ, aut ſanctiùs Reges conſulunt; quàm ſi eorum Magnificentia tum litterarum incremento ſtudeat, tum cultui divino. Quam ab orbe univerſo Nominis ſui famam meruerit Ptolomæus Ægypti rex, quòd Alexandriæ bibliothecam ſeptingenties mille manuſcriptis codicibus refertam erexit, & ut vel unica Hæbreorum hiſtoria non deeſſet, 72. interpretes largiſſimis ſumptibus ſibi comparârit: teſtantur tot poſterioribus ſæculis regnorum Principes, qui ejuſdem ut curæ, ſic laudis æmuli tantâ æris profuſione ſcientias emere; ut æraria in bibliothecas tranſijſſe, & aulæ omnigenæ eruditionis liber viderentur. (ee) Porrò qui ſplendorem Iſraëlitici regni, qui Regis Salomonis gloriam ad rigidiorem decempedam explorare cupit; (ff) magnificam auguſtiſſimi templi fabricam metiatur: & ſi viderit auro, cedris, omníque lapide pretioſo univerſa fulgere; agnoſcet & Religionis ibidem habitantis majeſtatem, & regis extruentis Magnificentiam ſic implicari: ut neutram ab altera diſcernat, parem utriquè admirationem decernat. Quare in *in his ſumptus laudabiliter magnus eſt, & ad rem peraccommodatus, cùm & res ipſa ſumptu digna, & ſumpus re ipsâ dignus habeatur.* (gg)

Donationum magnitudine non tam meretur, quàm ex tacito contractu emit ſui exiſtimationem Rex uſq; ad Magnificentiam munificus. Patuit id in Alphonſo Caſtellæ, & Legionis rege, quando eum ut magnificentiſſimum Principem Europa, & Aſia obſtupuit: infelici conflictu cæſum Orientis Imperatorem detinebat in vinculis Sultanus Babylonis: redemptionis perſolvendo lytro cum impar eſſet Byzantinum ærarium, Auguſta conjux ſubſidium à ſummo Pontifice, à Galliarum Rege ſolicitârat; ſed quæ ſumptuum juſtam magnitudinem fruſtra petebat à duobus, in Hiſpaniam profecta accepit ab uno. Dedit Alphonſus 10. dierum ſpatio integrum libertatis pretium, eâ tamen lege; ut quam Romæ, & Pariſijs æris ſummam Imperatrix jam impetraverat; illicò remiſſam reſtitueret: *Nolo enim,* inquiebat, *alienis impenſis meam liberalitatem adjuvari.* (hh) Magìs quippe è Regij nominis dignitate fuerat ſic eſſe munificum; *tunc enim regij animi præcelſa magnitudo oſtenditur, cm ſummæ magnitudo profunditur.* (ii)

(*a*) Phil. Comin. l. 3. pag. 84. (*b*) Dio. l. 49. (*c*) Cic. l. 1. de offic. (*d*) Nieremb. virt. coron. p. 2. §. 1. (*e*) Caſſiod. 5. Var. 22. (*f*) Ariſtot. l. 4. Ethic. c. 2. (*g*) Daniel 7. v. 10. (*h*) Menand. apud Lang. (*i*) Suet. in vita. (*k*) Egnat. l. 2. c. 2. (*l*) Nieremb. cit. c. 25. 2. (*m*) Eſther. c. 1. (*n*) 3. Reg. c. 4. (*o*) Ibid. v. 2. & 21. (*p*) Ariſtot. l. 4. Ethic. 2. c. 2. (*q*) Cic. ad Brut. (*r*) Ariſt. l. 1. Rhet. c. 6. (*s*) Laërt. l. 5. c. 1. (*t*) Ammian. 25. (*u*) Niceph. l. 14. c. 2. (*x*) Cic. de orat. (*y*) Senec. conſol. ad Helv. (*z*) Dio. l. 59. (*aa*) Ariſt. l. 4. Eth. c. 2. (*bb*) Idem. (*cc*) Plin. in Paneg. (*dd*) Suet. in ejus. vita. (*ee*) Agell. l. 6. c. ult. (*ff*) 3. Reg. 10. (*gg*) Ariſt. 4. Ethic. c. 2. (*hh*) Nieremb. virtus cor. p. 2. c. 7 §. 7. (*ii*) D. Th. q. 129. art. 2.

SPLEN-

SPLENDOR MAGNIFICENTIÆ AUSTRIACÆ UBIQUE DIFFUSUS.

SOl orbis inter ſidera maximum,
Fulgoris hæres AUSTRIA! Quæ nites
Majeſtuoſa luce dives,
Magnifico radians amictu
Quid non deauras? Undiquè Cynthio
Par: imò non par, ſed magè clarior
Pompoſa fulges, & ſerenas
Spargere nata faces, per axem
Auguſta geſtis Imperij micas.
Quo glorieris, non facinus deeſt
Inſomne ſæclis, ô venuſti
Sideris effigies, Evum
Æquans imago lumine Delium!
Te luce magnam, Te rutilantius
Aſtrum fatetur, Te Monarcham
Attonitus veneratur orbis,
Intérque ſummum ſidera prædicat.
Nam Tu quadriga vectus in aurea
Titan, dierum pulcher author
Regiloquo locuples nitore
Sidus, coruſcis undiquè diffluis
Fulgens pyropis, quàm memorabiles
Scenas adornas? quámque avitæ
AUSTRIA das documneta pompæ?
Phœbea lampas neſcia contegi,
Nec quod peramplum Tu jubar explicas:
Nempe indoles innata prodit
Semet, & ingenitæ ſub umbra
Latere dotes, nónque decus poteſt
Regale. Sic eſt: quem fugiunt Tuæ
Miranda Majeſtatis acta?
Gloria, ſplendor & venuſtans
Thronos Regentum non tenebras ſciunt.
Omnes per oras panderis AUSTRIA,
Et majus orbis luminare,
Plauſibili patefis ſereno.
Quæ forma rerum? quâ veheris viâ,
Detergis umbras, ac faciem novam
Sumptûs loquacem faſtuoſi
Inſtituis, locupléſque mundum
Splendore reples. Seû ſolij ferat
Solem Te Horizon, ſeû diademata
Regum capeſſas, faſcinatrix
Fert famulos Tibi pompa plauſus.

 Sed

Sed quod Theatrum jam mihi panditur?
Hinc inde moles Dædalea manu
Stant fabrefactæ: nunc colossis,
Nunc adytis, superúmque Fanis
Tellus superbit. Quo venit auspice
Centuplicatæ non leve machinæ
Opus? parentem Te fatentur
Mygdonij monumenta saxi.
Vix orta Regnis solis es æmula
Mundi novatrix: mox ubi regiæ
Accensa gemmis es Tiaræ,
Tecta Arabum, Pariíque fastûs
Patent Sabæûm: cernimus, AUSTRIO
Notata quot stant marmora nomine
Turrésque, moles & superbas
Cæsareos meminisse sumptus.
Tibi Viennæ Pergama, & inclytas
Debemus arces, vasta palatia,
Centúmque Te loquuntur urbes
Aggeribus, validóque cinctæ
Muro frementis non superabiles
Furore Martis. Te proprium sui
Narrant parentem dum sub ipsas
Basilicæ, fabricæque nubes
Invectæ. Athenas, quótque stupet docens
Musæa Pallas, sunt Tua munera,
O Phœbe mundi! Tu decorem
AUSTRIA, Tu pretium profuso
Aspergis auro. Scilicet assoles
Solare sidus regna perambulans
Afflare lucem, déque summo
Imperij radiare cœlo.
Factiva magni facta domestica
Virtus per omnem Te tulit orbitam,
Ferétque posthac, & perennes
Cûi solitum stabilire laudes,
Æterno honoris provehet essedo:
Te fama magnæ nuncia gloriæ
Plausu celebrabit canétque:
AUSTRIA Magnifico per orbem
Splendore fulget. Quàm bene prodiga
Diffundit amplis plena nitoribus
Opes! Regentis námque virtus
Summa per eximias mereri
Pompas, honores. Sol oriens *Neo*
JOSEPHE REX quid? Tu quoquè fastibus
Ornabis, & replebis orbem
Magnificis redimite gestis.

FIDE-


VI CARET RVPTA FIDE

FIDELITAS.

Bistonium nuper qui formidavimus arcum;
Vi vacuum rupta vidimus esse fide.
Sic tandem offensus perjuria vindicat æther:
Perfidus exitio Mars furit ipse suo.
Pressa fuit toties, tamen eminet AUSTRIA: pactis
Firma stat: hinc casum non timet illa DOMUS.



Uæ principatûs honore supra communem mortalium sortem extulit liberrimum Principem Fortuna; nemini obnoxium fecit, nisi sibi, verborum suorum servum publica fidelitate. Legum, & pœnarum vis plebem obstringit; liberum principem vix aliud obligat, præter se ipsum. Sæpe legibus Imperans subjacet: sed & sæpe secum dispensat, quia legislator; à fidelitate nunquam validè se absolvit. Principes verborum suorum non esse mancipia, vox est læsæ Principum Majestatis rea: quia coronata capita, & divas Imperantium Majestates scurras dicit: Cùm, *qui ea dicunt, quibus fides non habenda videatur, scurræ vocantur.* (a) Fictitia è ligno, & viva Regum persona vix alio differunt, quàm loquelâ. Ornatus exterior, sceptrum manibus, corona capite utriquè par; sola voce dispares: quam qui prostituit Princeps, læsæ Majestatis suæ reus est, bis nocens, fraude in alium, in se injuriâ. Verè abjectus Imperans, qui in spreto suo verbo se abjecit, violator authoritatis publicæ, à qua præcipua ejusdem dignitas.

Non decet Principem labium mentiens. (b) Vah probrum! pudet vel meminisse mendacij, cùm de Principibus sermo est. Probrosum semper vel puero mentiri. Quid Viro? quid Principi? Mortalium miserrimis paupertas, morbi, adversa quælibet tolerabilia sunt: infamia mendacis vix unquam. Quia in ijs frequens patientia, in hac ferè nunquam non furor. Etiam lixa audire mendax impunè non patitur: pugnò sæpius alienis faucibus impacto, impactam sibi maculam abstergere nititur. Et coronatum Caput ab universo orbe mendacem sibi linguam inter sibila exprobari feret sine sensu? Sic Dij me ament; indignus est dignitatis suæ celsitudine animus tam abjectè humilis. *Magnitudinem Fortunæ suæ Princeps, qui mentitur, ignorat.* Marcus Aurelius Imperator Commodum primogenitum hæreditate Imperij privare meditabatur; palàm professus causam: quòd in eo nunquam veritatem invenisset. Non malè: quia qui aliud dicit, aliud facit Imperans, aliud dicitur, aliud est. Plus erubescit servili infamia, quàm Regiâ Purpurâ. Non est verus Princeps, qui non verax. Prima non veracis falsitas, & summa, Principem se esse. Quomodò enim Princeps, qui famæ suæ prodigus? cùm *Principibus præcipua rerum ad famam dirigenda.* (c) Non uni homini, nec Provinciæ, sed orbi toti; non ætati uni mortalium, sed æternitati posterorum infamem se prostituit, & exsibilandum à posteris impostor Imperans. Unum violatum

tum verbum integra trahet volumina opprobriorum. Æternùm lacerabitur probris per ora hominum, qui datam ore fidem rupit, immortalis infamia loquentium, & scribentium. *Hoc* enim *annalium munus, ut pravis dictis, factísque ex posteritate, & infamia metus sit.* (d) Famæ & Majestatis suæ Zelator princeps *perpetuò in id studium incumbat, eámque reverentiam præ se ferat; ut verbis suis major sit fides, quàm aliorum juramentis.* (e)

Si veritas est, magnos Principes quandam esse divinitatis particulam: eorundem verba sint & oracula necesse est, quæ fallere nesciant. Quæ oraculis divinitatem, Principibus Majestatem conciliat veritas dictorum. *Pulcherrima in Principe mentis, linguæq; concordia.* (f) Homo animal sociabile commune societatis vinculum fidem habet, hæc mutuos nexus & jungit, & servat: quàm si Princeps humanæ societatis custos positus, pessimo exemplo, prior ipse dissolvit; non conservator, sed turbator, imò eversor est universi. *Fides sanctissimum humani pectoris bonum est.* (g) Evelle è mundo fidem, radicem evulsisti, ex qua omne bonum. Ah faciem miseram communitatis humanæ, ubi nulla promissorum, nulla pacti, nulla fœderum sanctitas: si fidendum nemini, credendum nulli! *Tolle ista, aut minue raptus, cœdes, bella erunt, atquè hæc nullo fœdere, nulla pace terminanda.* (h) Rectiùs erit belluarum contubernium, quàm hominum consortium. Harmonia humanæ conversationis ex integro confunditur vocis, & animi discordiâ.

Ingens omnibus, quæ Princeps dicet, tum Majestas insit, tum fides. Promissis standum est: pactis non modò favorabilibus, sed odiosis. *Actum est de rebus humanis, si sola servatur utilitatum fides.* (i) Princeps Politicus Reipublicæ sol humana imbecillitate inevitabilem quandoquè maculam, nunquam integram splendoris sui ecclypsim patitur, nisi perfidiâ. Quia nunquam serviliùs aliquid dominationi suæ objicitur, quàm lunatica verborum inconstantia, venenato semper similem per ecclypsim in rempublicam influxu, quæ cum Imperante fatali subjacet discrimini. Probatum est, *nisi in fide stet respublica, opibus non staturam.* (k) Non diu stabit Princeps, & cum eo ratio statûs, qui verbis suis non stat; juratis præsertim, quorum perjurio non homo tantùm, sed DEUS ipse læditur. Utrumquè læsum perfidiâ & Deum, & hominem, utrumquè sentiet inimicum; re duos, causâ unum, unum & perfidiæ vindictâ. Si perfidia quandoquè clarescit victorijs; fatuus ignis est; quia momento evanescens: ejus tamen virtutis, ut ultricia accendat fulmina in manu Tonantis.

Stant nulla diu deceptis gaudia Divis. (l)

Suprema veracitas adversaria semper fuit fallaciæ, præsertim perjuræ. *Perjurij pœna divina exitium, humana dedecus.* (m) Non opus hìc coronata numerare perjuria Divina Nemesi ultimo excidio castigata. Divini, & profani codices pleni sunt miserabilibus pejerantium exemplis. Nequè longiùs abeas, si veritatem cupis palpare; sta ubi es ævo tuo, & in Orientem vultus conijce, qui cum perjurijs in fide non stetit, cecidit in occasum fortunæ. Constans Luna sensit inconstantiam fidei tantâ terrarum amissione, plùs perfidiâ suâ, quàm hostilibus armis contrita. Stas, & stupes in Oriente Occidentem fortunæ; si lubet converso paulùm vultu in Occidente Orientem mirare: Quid dicis? Taces? prudenter, ut plura cogites; illud præsertim Prophetæ: *Qui dissolvit pactum, nunquid effugiet?* (n) Joachim Israëlis Regnator ethnico Nabuchodonosori fœdifragus, audijt tonantem per Prophetam Dominum: *Vivo ego, quoniam juramentum, quod sprevit, & fœdus, quod prævaricatus est, ponam in caput ejus.* (o) Hoc præmium est fœdifragi: ut quæ paravit mala alteri, ipse ferat Aman sæculi sui, longa trabe infamiæ posteris execrandus. Nequè opus Victori DEO miraculis

raculis in perfidorum capita; nimiùm connaturale vindictæ instrumentum mundus est semper perfidis infensus. Agesilaus Spartæ Rex, cùm imparato Persarum Regi, à Tissapherne supremo ejusdem satrapa perfidè requisitus inducias indulsisset ad pacem componendam, cùm audiret Persas induciarum tempore copias cogere, & bellum summa vi contra fidem comparare, nil motus profici in eo sibi multùm dicebat: quia perjurio suo perfidus Persa & homines alienaret, & Deos redderet iratos: hinc sibi non dubium triumphum. Dicto respondit eventus.

A perfido Principe unus decipitur populus; offenduntur omnes. Nullus amicus, quia nemo tutus; inimici singuli, quia cauti. Melior apertus hostis, quàm simulatus amicus: ille armatus armatum impetit periculi conscium, simulator inermem obruit præfidentiâ securum. Uni fœdifragus suspectus fit omnibus; quia par omnium ratio, quæ unius, fides data. In suspecto suspecta omnia: suspectum fœdus, suspecta promissa, suspecta pax, atquè hinc aperta diffidia: *siquidem pace suspecta tutius bellum.* (p) Cùm *plurimis amicis fortuna Principum indigeat, præcipuum est Principis munus amicos parare.* (q) Vix dabis historicus Rempublicam, quæ inter magnas semper magnorum vicissitudines diu stetisset; quam non aliquando amici manus sustinuit, ne decideret ex alto fortunæ. Non suis tantùm, sed alienis viribus potens est Imperans, qui amicis abundat; quia amicorum communia sunt omnia, etiam potentia. Argue sequelam Politice, quàm grave detrimentum sibi fecit, & reipublicæ Princeps, quia perfidiâ amicos amisit. Errat quisquis fraudibus lucrum sperat. Levitate verborum levissimam facit Imperans fortunam, quia nunquam firmam. *Impossibile est injustum, perjurum, & audacem potentiam firmam retinere.* (r) Romana Majestas, ut eam assequeretur amplitudinem, quâ æternitati idea fieret Magnorum Imperantium, jam tum à prima ejusdem origine Numa Pompilius providit: *ut fides, ac juramentum propulso legum, ac pœnarum metu civitatem regerent.* (s) Quod intendit Roma, obtinuit; tenax fidei tantum tenuit Imperium, & tot sæculis retinuit. *Omnibus quippe virtutum generibus exercendis, colendisque Populus Romanus è parva origine ad tantæ amplitudinis instar emicuit: sed omnium maximè, atquè præcipuam fidem coluit, sanctámque habuit, tam privatìm, quàm publicè.* (t) *Favet pietati, fideíque Deus, per quæ Populus Romanus ad tantum fastigium pervênit.* (u) Tamdiu firma Imperia, quamdiu firma fides fœderum, & pectorum. Diceres ab amente regi Rempublicam, ubi perfidus gubernat; quia non constat sibi. *Callidi, & impostores, quantumvìs subtilibus consilijs raró, aut nunquam ad potentiam perveniunt; aut si, in ea non sunt firmi.* (x) Pactorum debilitas firmum est debilis Principis argumentum. *Qui enim fallit, & decipit; eò facit, quia potentiæ, & viribus minùs fidit.* (y)

Victoria fraude parta non meretur triumphum, nisi inter acclamationes exprobrantium. Abgandestrio Cattorum Principi Arminij mortem offerenti, si venenum submitteretur, respondit senatus: *Non fraude, neq; occultis, palàm atq; armatum Populum Romanum vincere.* (z) Hoc gloriosum, hoc laudabile magnis. Si Turpe est dolo vicisse, quid perfidiâ? quid perjurio? Hoc sanè non viri, vix imbellis fœminæ est. Sic vincere etiam effæminati inter scorta militantes possunt, quibus nullus animus, sed ignavum, & vilissimum cor. Victor fœdifragus non miles, sed latro dicendus est; utrique communis honos, quia æquale facinus. Vah pudor! *Præstat honestè vinci, quàm nefariè vincere.* (aa) *Malo me fortunæ pœniteat, quàm victoriæ pudeat.* (bb) Illa solùm *vera victoria, quæ salva fide, & integra dignitate paratur.* (cc) O militem! O virum! qui urbes occupat, & munimenta amicus amico: ne si hostis esset, ab hoste fugeret imbellis: non bello vincit, sed furto subducit. Occupa-

 ta

ta perfidè munimenta, æterna ſunt infamiæ monumenta. Glorioſi militis prima palma eſt, fidem apud omnes obtinuiſſe, ſumma clades, vel apud unum amiſiſſe.

Optimus ille
Militiæ, cûi poſtremum eſt, primúmque tueri
Inter bella fidem. (dd)

Adeò fœda eſt magno Duci perfidiæ nota; ut quamvìs frangenti fidem, fides non ſervanda ex debito, etiam perfido quandoque præſtanda ſit; ne alienæ turpitudinis vel umbrâ infici videaris. Cæſar, etſi Arioviſtum fidem fallentem adverteret; noluit tamen, ut ſui milites Germanos læderent: *ne dici poſſet, eos à ſe per fidem in alloquio circumventos.* (ee) Magno illi Imperanti gravior fuit levitas fidei, quàm victoria, imò regnum. Maluit amittere plurima, quàm unam fidem. Sic magni Principes

Non rumpite fœdera pacis,
Nec regnis poſtferte fidem. (ff)

Quodcunquè lucrum fraus offerat, minus eſt, quàm ut fides ſolvi poſſit; quia hinc fama nullo pretio æquabilis, quia par vitæ. *Non pluris apud nos divitiæ valeant, quàm fama.* (gg) Pro debito ſtatûs ſui honoris avido Principi, fides publica in honore ſit: tum enim, ſi uſquam, honor ſequetur Honorantem. Romanorum exemplo, qui in honoris faſtigio collocati Fidei ſtatuam penes Jovem velut ſummo honoris loco poſitam coluêre.

Ævo ſuo Roma, ſæculo noſtro Germania penes ſuum Imperij Jovem Magnum LEOPOLDUM I. proximo honoris loco, Romanæ videlicet Majeſtatis, dignitate recenter poſuit TE, Auguſte NEO-REX JOSEPHE, liceat dicere publicum Germanæ Fidei monumentum. Perverſo hoc ſæculo, in quo *nec promittendi modus eſt, nec frangendi pudor ullus.* (hh) TU es *venerabile hoc Fidei Numen, quæ dexteram ſuam certiſſimum humanæ ſalutis pignus oſtentat.* (ii) In Romana Majeſtate et ſummum TE Principem, & Germanum probabis, cui fides invidendâ cæteris antonomaſiâ manebit Germana virtus. *Nihil enim, quod Principem magìs decet, quàm ut verbis ſuis fidem præſtet.* (kk) Inconcuſſa fide ſemper hoſtibus inconcuſſus eorum perfidiam Tua Fidelitate franges, ſemper Auguſtus Regnorum Tuorum Amplificator, glorioſo Auguſtiſſimorum Majorum exemplo, quorum Imperij magnitudo, quâ majorem ſol non vidit, ne in palmo terræ etiam ab invidis unquam perfidiæ incuſata eſt. Sic, quæ in teneriori ætate nupſiſſe TIBI videtur Fortuna, cùm tot ſceptra, & coronas in Te contulerit, propriam ſemper Fortunæ dotem; etiam TIBI conſtantem pariter, & intaminatam proſperis bello, & pace eventibus nupta felicitatis
DEA ſervabit Fidelitatem.

(a) Dio. l. 33. *(b)* Prov. 7. *(c)* Tacit. An. 4. *(d)* Tacit. An. 3. *(e)* Iſoc. or. 2. ad Nicoclem. *(f)* Mamert. Paneg. *(g)* Sen. ep. 88. *(h)* Lipſ. monit. polit. c. 13. *(i)* Fab. declam. 16. *(k)* Liv. l. 3. *(l)* Sil. l. 3. *(m)* Cicero l. 2. de leg. *(n)* Ezech. 11. *(o)* Ezech. 17. *(p)* Tacit. 4. hiſt. *(q)* Plin. paneg. *(r)* Demoſth. Rhet. c. 18. *(s)* Liv. l. 1. *(t)* Gell. l. 2. c. 1. *(u)* Liv. l. 44. *(x)* Lipſ. monit. polit. c. 13. *(y)* Lipſ. ibid. *(z)* Tacit 2. an. *(aa)* Nazian. or. 21. *(bb)* Curt. l. 4. *(cc)* Flor. 1. c. 12. *(dd)* Sil. l. 14. *(ee)* Cæſar l. 1. de Bello Gal. *(ff)* Sil. l. 2. *(gg)* Symach. c. 30. *(hh)* Petrarch. l. 1. de remed. utriuſque fort. dial. 110. *(ii)* Valer. l. 6. c. 6. *(kk)* Liv. l. 26.

FIDE-

FIDELITAS, SEU PUBLICA
FIDES AUSTRIACAS SERVAT SERVATA CORONAS.

FOrtè ſuburbanas ubi plenior alluit Iſter
Vindobonæ ſylvas, diviſáque brachia ſtringens
Includit Dryadúmque choros, viridémque Dianam,
Sub denſa nuper conſederat AUSTRIA fronde.
Hìc dum Diva leves oculo fugiente ruentis
Abnobidæ fluctus animo meditatur, & undas
Inſtabili videt ire viâ, quáque impetus urget,
Stare loco ignaras liquido decurrere lapſu,
Talibus alloquitur fugientem vocibus Iſtrum:
Téne, fatere Hoſpes, vivit prognata parente,
Quam colit *AUSTRIACIS* dudum gens invida ſceptris,
Sancta olim, regeret mundum dum ſanctior ætas,
Sed modò rara Fides? loquitur vaga filia patrem.
Tu neſcis alvêo conſiſtere, neſcia & illa
Labitur, illudénſque docet, cûi fidere fas ſit.
Heu fraudes! heu fluxa Fides! quæ vivitur ætas!
Quò fugit alma Fides? celeres huc dirige greſſus,
Hîc Tibi ſtare loco, & tutas dabo figere ſedes.
Fida fui, ſemper (ſuperi date) fida manebo.
Dixit, dicentis dulci modulamine reddunt
Naïades Dryadéſque modos, & carmine fluxam
Stringunt, *AUSTRIACAMQUE FIDEM* ſuper æthera tollunt.
Ecce autem, dum Diva ſuas Regina querelas
Accumulat, non viſa priùs, ſtat littore cymba,
Amnis an adverſus, dubium eſt, tuleritne ſecundus,
Quam pater ipſe loci remex, & portitor Iſter
Advectam ſecum tacitis huc appulit undis:
Una fuit cymbæ pondus, cui pauca locutus
Portitor: Exſcende, hæc fatis tibi debita terra eſt.
Dixit, & in noto mergens ſe condidit alvêo.
Virgo erat, ora Deæ ſimilis, ſed pulſa quietas,
Quêis ſtaret, terras (hominum gens impia, ſede
Quæ nequè jam Superos ſtabili ſinis eſſe!) requirens.
Hæc ubi Reginam vicini in tegmine luci
Advertit, Divæ ſupplex his vocibus uſa eſt:
O multùm dilecta Deo, cûi fata coronas,
Et regna accumulant: liceat ſuccedere terris,
Quas fido imperio moderaris, quóſque benigna
Aſtra mihi de Te ſpondent, ſentire favores.
Obſtupuit ſortem, vocémque, habitúmque loquentis
AUSTRIACI Regina ſoli: dehinc talia fatur:
O Dea (nam negat eſſe hominem vox, quæquè decoram
Mortali major veſtit Tibi gratia frontem)
Si ſuperis, quorum mea ſunt hæc munere Regna,

Non

Non ingrata fui, coluíque, colíque Penates
Si juſſi, ſi fortè (quod audiviſſe videris)
Quando beare ſuo voluêre has Numine terras,
Humana *AUSTRIADUM* in Superos Pietáſque, Fidéſque
Cælicolis placuit, nondum tam barbara morem
Dedidici patrium; patuit, ſempérque patebit
Hoſpitio Divûm *DOMUS AUSTRIA*: vivito mecum
Hoſpes, & Imperijs mecum dato jura paternis.
Sed Tibi quod nomen? (liceat quæsîſſe) videris
Non ignota meis hoſpes ſuccedere Regnis.
Aut vidi, aut vidiſſe puto. Vidiſſe, reponit
Virgo, ne dubita; non TE deluſit imago.
Illa ego Teutonicæ non infima gloria gentis
Sancta *Fides*, inviſa illis, queîs cernere durum eſt,
AUSTRIACIS tantùm faveant quòd fata coronis.
Hinc premor: hæc cauſa exilij mihi ſuaſit ad oras
Diva venire Tuas: hîc firmum figere Regnum,
Virtuti datur: hæc Divos manet hoſpita tellus.
Sic age, Cæſareos Mater viſura Nepotes.
Sic Pietas, ſic ſancta Fides, ſic candida virtus
Sit cordi. Sic *AUSTRIACAS* procul ultima Thule
Audiet, & patrio reſonabit carmine laudes.
Novi ego (ſed nondum ſecreta reſolvere fas eſt)
Quæ grato mittenda polo tibi fata parentur.
Hoc unum, hoc moneo: monitis ne crede ſiniſtris,
Si Tibi qui fraudi ſuadent occurrere fraude,
Párque referre pari, ſta non perterrita pactis.
Da Fidei Regina fidem. Me Regna ſequuntur.
Te, meminiſſe potes, quêis circùm fraudibus actam
Callidus in ſtructos caſſes penè impulit hoſtis,
Sed quibus hæc fatis ſint luſa pericula, diſce.
Vix ea: continuò in ſcenas, ſic juſſa, recedit
Populeæ proles ſylvæ, ſpeciéſque theatri
Surgit, in *HABSPURGOS* Fidei exhibitura favores.
Hìc primùm *AUSTRIACAS* oſtentat ſcena coronas,
Seu quibus ARCHIDUCEM natalia jura dederunt
Effulgere *DOMUM*, ſeu quas ſuperaddidit æquus
AUSTRIACIS, voto ſpem non fallente, ſenatus.
Quantus honor! quantâ ſe Majeſtate videnti
Præſentant Dominæ Diademata! quantus in illis
Magne orbem (jam nunc tantus) *LEOPOLDE* beares,
Hanc Te pacifico Superi ſi vertice ſortem
Ferre ſinant! Hinc diva favens vinclo alligat aurum,
Cæſareámque ſimul, Regúmque, Ducúmque tiaras
Fœdere conjunxit ſtabili: tum vincla Regenti,
Dat Dominæ, monitúmque addens: hæc vincula ſerva,
Infit, & infractæ Fidei ſervabere vinclis
Hæc etenim *AUSTRIACAS ſervant ſervata coronas.*

FINIS.

Titel, 3 Bll, 36 num Bll,

mit 1 Frontispiz und 12 Kupfertafeln

Holban = B. III, 1125

V: GAZZAROLI von GAZZAROLSHOFF, F. I,

vgl. [illegible] I, 108 [illegible]
der 1806 [illegible])

[illegible] SL [illegible]
[illegible] XXIX, SP7 und X, 13

[illegible] —

Frontispiece
A-M[3] [illegible] paper [illegible]